



P A R S T E R T I A
D E
J U D I C I I S , D E L I C T I S ,
E T
P O E N I S E C C L E S I A S T I C I S .
T I T U L U S P R I M U S
D E
J U R I S D I C T I O N E E C C L E S I A S T I C A
I N C I V I L I B U S .

C A P U T P R I M U M .

Quæ fuerit jam pridem Episcoporum auctoritas in dirimendis
causis Laicorum.

- | | |
|--|---|
| <p>1 <i>Apostolus modum litigandi Corinthiorum redarguit.</i></p> <p>2 <i>Quod quaestiones ad tribunalia Infidelium judicandas referrent.</i></p> <p>3 <i>Loquitur Apostolus de auctore non de reo.</i></p> <p>4 <i>In quo consisteret vitium Corinthiorum?</i></p> <p>5 <i>Primum argumentum Apostoli quo ostendit indignum esse, ut Fideles ad tribunalia Infidelium recurrant.</i></p> <p>6 <i>Secundum argumentum Apostoli.</i></p> <p>7 <i>Vult in dirimendis secularibus judiciis contemptibiles constitui; & qui contemptibiles?</i></p> <p>8 <i>Non simpliciter, sed comparative hos judices constitui vult.</i></p> <p>9 <i>Mens Apostoli erat, ut Sapiens aliquis à Fidelibus constituitur, qui quaestiones dirimeret.</i></p> <p>10 <i>Ut hic tanquam arbiter quaestiones determinaret.</i></p> <p>11 <i>Desiderabat Apostolus, ut à forensibus litigiis abstinerent.</i></p> <p>12 <i>Quis ex mente Apostoli Sapiens dicatur?</i></p> <p>13 <i>Quâ ratione ex sensu Apostoli quaestionibus & causis civilibus componendis Episcopi merito intenderint.</i></p> <p>14 <i>Sanctus Augustinus se illis impendit, ut Apostolico monito obtemperaret.</i></p> <p>15 <i>Etiam S. Ambrosius se hisce impendit.</i></p> <p>16 <i>Imperatores Christiani desiderarunt, ut quaestiones inter Fideles ab Episcopis componerentur.</i></p> <p>17 <i>Constantinus M. permisit litigantibus ad Episcoporum judicium provocare, rejectis Magistratibus civilibus.</i></p> <p>18 <i>Arcadius Imperator similiter indulget ut litigantes ex mutuo consensu judicium Episcopi tanquam arbitri experiri possint.</i></p> <p>19 <i>A decisione Episcopi sic electi provocari non poterat.</i></p> <p>20 <i>Litigantium altero recusante causa ad Episcopos trahi non poterat.</i></p> <p>21 <i>Ad leges permittentes litigantibus recurrere ad Episcopos</i></p> | <p><i>respexit S. Leo consulens Pœnitentibus ut ad Episcopale potius quam seculare judicium recurrant.</i></p> <p>22 <i>Episcopi potius arbitri quam judices constituebantur; idque de consensu utriusque litigantis.</i></p> <p>23 <i>Extravagans permittens litiganti altero reluctante experere Episcopale judicium, apparet non posse Constantino attribui.</i></p> <p>24 <i>Hac Extravagans vult sententias Episcoporum inviolatas servari.</i></p> <p>25 <i>Cur tanta tribuatur auctoritas Episcoporum sententiis?</i></p> <p>26 <i>Hac lex à nonnullis viris eruditis ut supposititia, rejecta à Carolo M. sub nomine Theodosii innovata & confirmata.</i></p> <p>27 <i>Eam referunt S. Ivo & Gratianus; & probavit Innocentius III.</i></p> <p>28 <i>Vigore hujus legis licitum erat laico in quacunque parte litis ad Episcopum causam trahere etiam altero litigantium invito.</i></p> <p>29 <i>Non licet à sententia Episcopi appellare.</i></p> <p>30 <i>Vult Carolus M. in omnibus suis Ditionibus & ab omnibus hanc legem servari.</i></p> <p>31 <i>Quis fuerit Caroli M. in promulgatione hujus legis scopus?</i></p> <p>32 <i>Omnis Episcoporum auctoritas in causis laicorum tendebat ad conciliandam concordiam & pacem.</i></p> <p>33 <i>Episcopi urgebant Principes ut idem esset judiciorum forensium scopus.</i></p> <p>34 <i>Pleraq. laicorum causa civiles ad Episcopos deferebantur.</i></p> <p>35 <i>Quam extensa fuerit jurisdictio Ecclesiastica saeculo 13. ostenditur ex Concilio apud Melodunum.</i></p> <p>36 <i>Causa civilis inter laicos ratione iuramenti spectabat ad judicem Ecclesiasticum.</i></p> <p>37 <i>Hoc titulo omnes pene causa ad tribunal Ecclesiasticum devolvebantur.</i></p> |
|--|---|

- 38 *Causa testamentaria ad tribunal Ecclesiasticum spectabant.*
 39 *Ratio illius erat, quod testamenta conficerentur coram Notario Ecclesiastico.*
 40 *Per hoc plurima causa Ecclesiastico tribunali subjicebantur.*
 41 *Rectores Ecclesiarum poterant laicos, qui personas vel bona ipsorum laeserant, ad Ecclesiasticum vocare.*
 42 *Multotempore in Gallia penè solum fuit forum Ecclesiasticum.*
 43 *Id ostenditur ex discursu Bertrandi Episcopi Eduensis nomine Cleri Gallicani coram Philippo Valesio habito.*
 44 *Pratendit hic omnem causam, in qua subest materia peccati spectare ad forum Ecclesiasticum.*
 45 *Ex hoc principio facile omnes causa ad forum Ecclesiasticum trahi possunt.*
 46 *Dicit Eduensis consuetudinem Ecclesie Gallicane esse, ut cognoscat de causis personalibus & realibus laicorum.*
 47 *Asserit hanc consuetudinem introductam ex voluntate litigantium eligentium tribunal Ecclesiasticum.*
 48 *Reflectit hic Eduensis ad legem sub nomine Theodosii à Carolo M. promulgatam.*
 49 *Hæc consuetudo in contradictorio judicio dicitur confirmata.*
 50 *Quare Ecclesia Gallicana ampliore jurisdictione utatur quam alie Ecclesie?*
 51 *Supplicat Pralati, ut Rex conservet jurisdictionem in causis laicorum.*
 52 *Item ut juxta legem Theodosii à Carolo M. innovatam permittat Litigantibus libertatem, judicem eligendi.*
 53 *Extensionem jurisdictionis Ecclesiastica probat tractatus Guilielmi Durandi Concilio Viennensi exhibitus.*
 54 *Consuetaria ex ante dictis.*



I. Postolus advertens inordinatum modum litigandi & disceptandi super rebus temporalibus inter Fideles Corinthios irrepere, eos in prima sua ad ipsos Epistola cap. 9. de duobus arguit.

II. Primò, quòd quæstiones exortas inter ipsos ad profana infidelium tribunalia deferrent. *Audet (ait) aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, & non apud Sanctos?* id est, audat aliquis apud iniquos, seu, infideles, & non apud Christianos, qui hic Sancti vocantur, judicari, seu judicio experiri?

III. Rectè autem monet Estius in Commentario ad hæc Apostoli verba, dirigi hunc Apostoli sermonem ad *actorem*, cujus in potestate erat apud Ethnicum judicem agere, vel non agere: non contra *reum* qui compellebatur, cui nec integrum erat judicem *ethnicum* declinare, modò competentem.

IV. Peccatum ergò Corinthiorum in eo erat [pergit Estius] quòd cum possent causam agere apud fideles saltem ut delectos arbitros: mallent apud infideles judices experiri, non sine Ethnicorum scandalo, & Christianæ religionis injuria: nam eò vitia Christianorum detegebantur apud infideles, primum dissidia, deinde avaritia, tum injuriæ mutæ.

V. Ut autem hujus recursus ad Judicia infidelium indignitatem evincat, & ostendat Apostolos, adjungit: *an nescitis quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis?* quasi diceret: cum sitis judices universales de maximis rebus judicaturi, ut per quos omnium impiorum vita condemnanda sit; an vos indignos censeatis, qui præficiamini minimis judiciis? Veluti cum disceptatur de negotiis hujus sæculi plerumque frivolis, atque exigui momenti, certè extremo loco habendis à Christiano. Ita Estius.

VI. Prosequitur argumentum Apostolus: *Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia?* Id est, si judicaturi sumus Angelos, id est creaturam omnium præstantissimam, quanto magis digni habendi, qui inter nos de rebus infimis, ut sunt ea quæ spectant ad usum vitæ præsentis, judicemus? ait Estius.

VII. Post hæc concludit: *Sæcularia ergo judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia illos constituite ad judicandum.*

Per contemptibiles hic intelligit Apostolos, qui inter ipsos Fideles, sive in Ecclesia *minimi* habentur.

VIII. Nequaquam tamen absolute & simpliciter vult similes dijudicandis ac terminandis *sæcularibus* judiciis sive quæstionibus esse præficiendos; sed *comparative* duntaxat ad infideles; docere volens potius hoc agendum esse, etsi parum deceat, quàm ut Christiani litigent apud infideles.

Unde sequitur apud Apostolum: *Ad verecundiam dico: quasi diceret: Quod dixi de contemptibilibus constituendis ad judicandum inter vos, non dixi quòd ita fieri debeat, sed ut ab eo quod agitis pudor vos avocet.* Sic enim confugitis ad profana tribunalia, quasi desint apud vos viri sapientes & honorati qui causas vestras dijudicent, quod vobis profecto pudorem incurrere debet.

IX. Et hoc est quod sequitur: *sic non est inter vos sapiens quisquam qui possit judicare inter fratrem suum?* Sensus est: Adeone non est vel unus sapiens apud vos, qui Fratrum inter se disceptantium causas possit judicando vel arbitrando, secundum jus & æquitatem dirimere?

Itaque hoc unum inculcare voluit Apostolus, ut si Fidelis quæstionem habeat de rebus etiam temporalibus cum alio fidei, quæstionem non ad tribunal sæculare ethnicorum trahat; sed alicui *sapienti* inter Fideles sive Christianos quæstionem proponat, ut ipse eam determinet & dirimat.

X. Licet enim eo tempore sub Imperatoribus ethnicis, Christiani non essent judices à Principe constituti cum Potestate, uti rectè notat Estius, poterant tamen eligi & assumi tanquam *arbitri*, quorum sententiis ex compromisso starent qui controversias habebant.

XI. Imò vel idcirco desiderabat Apostolus, ut Fideles quæstiones ad Ecclesiam referrent, ut hoc pacto judicia & lites forenses fugerent; controversiasque suas amicabiliter, interveniente sapiente, componerent: ideoque subjungit præcedentibus: *nam quidem omnino delictum est in vobis, quòd judicia habetis inter vos.* Ac si diceret, non est quòd propterea ad infidelium tribunalia controversias vestras deferatis; quia fideles judicandi auctoritate ab imperatoribus nõ sunt instructi: & consequenter Judicia exercere nequeant; quia hæc vos Christiani fugere debetis: imò *iam omnino delictum est in vobis, quòd judicia sive lites forenses, habetis inter vos.*

Vult ergò Apostolus, ut fideles quæstiones inter ipsos excitatas non in forensibus Tribunalibus agitent; sed eligatur aliquis sapiens ex ipsis, cui quæstionum suarum decisionem committant.

XII. Per *sapientem*, qui dirimendis & sopiendis quæstionibus; inter Fideles exurgentibus intendat, & ad quem ipsi recurrat, intelligi videtur omnis ille, qui difficultatibus illis terminandis, & Fratribus conciliandis, eosque à litibus avocandis est convenientior, & veræ ac Christianæ sapientiæ gratiâ in Ecclesia honoratus; uti monet Estius.

XIII. Cum igitur Episcopi præcipuâ in Ecclesia auctoritate pollerent, ipsisque tanquam Christianorum spiritualibus Patribus & Directoribus Fideles sua negotia magis consuevissent confidere, ipsisque speciali titulo incumbere, animos filiorum & subditorum suorum conciliare, & ab inordinato rerum terrenarum amore avocare, judicarunt jam pridem sanctissimi Episcopi muneris sui esse, causas & quæstiones fidelium, etiam de rebus *terrenis* audire, & dirimere; ipsosque ad concordiam revocare, simulque suâ auctoritate paternâ eos docere, quantum præ bonis temporalibus

ibus, pro quibus tantoperè disputant, amanda sint cœlestis.

XIV. Quantopere huic operi incubuerit, S. Augustinus, testis est Possidius in ejus vita, referens, cum interpellatum non solum à Christianis, sed à cujuscunque sectæ hominibus causas eorum audivisse *diligenter ac piè*: & ut eas dirimeret, aliquando totâ die jejunum perdurasse, ubi etiam hoc addit, quàm sanctâ intentione, genus illud occupationis alioquin ipsi molestissimæ suscepit; idque, ut ait Possidius, secundum Apostoli sententiam dicentis, *audet quisquam vestrum &c.*

Ipsè quoque plurimis locis de se ipso testatur, quomodo quæstionibus & causis decidendis occuparetur, & hisce implicatus à rerum cœlestium contemplatione invitus avocaretur; ac signanter libro de Opere Monachorum c. 19. ubi unâ asserit, se hisce molestiis ex Apostoli sententia implicari: "Quibus (ait) nos molestiis idem affixit Apostolus, non utique, suo, sed ejus, qui in eo loquebatur, arbitrio.

Quantos labores, quantasque molestias subiret, & qualiter se totum impenderet, ut homines sæculares ad concordiam revocaret; ipsisque persuaderet, ut suo se subicerent judicio, videri potest *Conc. 24. in psalm. 118.*

XV. Eidem operi insudasse S. Ambrosium, testis est Augustinus *lib. 6. Confess. cap. 3.* Secludentibus me (ait) ab ejus aure atque ore catervis negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus serviebat.

XVI. Imperatores Christiani desiderantes inter subditos suos pacem & animorum concordiam, etiam Episcopale studium in decidendis & dirimendis negotiis civilibus laudarunt, & suis legibus probarunt & stabilierunt.

XVII. De Constantino M. scribit Sozomenus *lib. 1. hist. c. 9.* Litigantibus permisit, ut ad Episcoporum judicium provocarent, si Magistratus Civiles rejicere vellent: eorum autem sententia rata esset, aliorumque judicium sententiis prævaleret, perinde ac si ab Imperatore ipso data fuisset: utque res ab Episcopis judicatas, Rectores Provinciarum eorumque Officiales executioni mandarent.

XVIII. Extar & Arcadii Imperatoris Constitutio in *L. 7. Cod. de Episcopali Audientia*, quâ idipsum litigantibus permittitur: Si qui (ait) *ex consensu* apud sacræ legis Antistitem litigare voluerint, non vetabuntur; sed experientur illius in *Civili* duntaxat negotio, *more Arbitri*, sponte residentis judicium.

Hinc relucet, litigantibus liberum fuisse, causas suas civiles ad Episcopum deferre, qui quasi à partibus electus, non ut Judex, sed *more Arbitri*, causam susciperet & dirimeret.

XIX. Ut autem firmior esset ab Episcopo tanquam arbitro inter fideles probata sententia, declaratur in *L. 8. Cod. eod.* quòd ab ea provocari nequeat; atque ipsi Judices, quod ab Episcopo determinatum fuerit, executioni mandari deberent. Episcopale judicium ratum sit omnibus, qui se *audiri à Sacerdotibus elegerint*; eamque illorum judicationi *adhibendam esse reverentiam jubemus*, quam vestris deferri necesse est potestatibus, à quibus non licet provocare. Per Judicium quoque officia, ne sit cassâ Episcopalis *cognitio, definitioni executio* tribuatur.

XX. Permittit quoque Valentianus III. in *Novella 12.* laicis, ut præeunte vinculo *compromissi* coram Episcopo causas suas pecuniarias agant. Addit tamen: Aliter eos Judices esse non patimur, nisi *voluntas jurgantium* interposita, sicut dictum est, conditione procedat: Si ambo ejusdem officii litigatores nolint, vel alteruter, agant publicis legibus & jure communi.

Hæc non obscurè probant, Episcoporum judicia fuisse *amicabilia arbitraria*, laicosque non nisi *volentes* eorum judicio subjectos.

XXI. Ad has leges reflexisse apparet S. Leo dum *Epist. 2.* respondit Rustico Narbonensi Episcopo: Si pœnitens habet causam, quam negligere fortè non debeat, melius expedit Ecclesiasticum quàm forensè Judicium. Hic enim fat patenter supponit Leo, laicis optionem esse recurren-

Van Espen Jur. Eccl. P. III.

di vel Ecclesiasticos, vel Sæculares Judices. Consulit autem Ecclesiasticos potius expeti à pœnitentibus; quia tum temporis, non more forensi & judiciario; sed arbitrario & amicè quasi causæ ab Episcopis finiebantur sopiebantur: & ut consequenter qui ad Episcopum recurrebant, quæstiones suas referebant, non tam litigare & judicio experiri, quàm amicè convenire, & pacificè quæstionem terminari velle viderentur.

XXII. Quæ hæcenus relata sunt, evincunt Episcopos de causis laicorum etiam civilium judices, sive potius arbitros constitutos fuisse, si modo litigantes eos elegerint; sive, si qui apud sacræ legis Antistitem litigare voluerint; ut loquitur Arcadius in citata *L. 7. Cod. de Episcopali audientia*; aut quemadmodum dicit Honorius in lege sequenti, qui se *audiri à Sacerdotibus elegerint*, uti rectè notat Jacobus Gothofredus ad Extravagantem primam de Episcopali judicio, quæ habetur in appendice Codicis Theodosiani.

XXIII. Credit autem Gothofredus, hanc Extravagantem sive legem vel ex hoc capite supposititiam esse, & Constantino M. tribui non posse, quòd permittat causas laicorum ad Episcopos deferri, non tantum *ex utriusque* litigantium consensu, sed & *altero refragante*.

In hac quippe lege sub nomine Constantini dicitur: "Quicumque itaque legem habens, sive possessor, sive petitor, inter initia litis, vel decursis temporum curriculum, sive cum negotium peroratur, sive cum jam cœperit promi sententia, Judicium elegit sacrosanctæ legis Antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiam si alia pars refragatur, ad Episcopum cum sermone litigantium dirigatur: multa enim quæ in Judicio captiosæ præscriptionis vincula promi non patiuntur, investigat & promit sacrosanctæ religionis auctoritas.

XXIV. Significat in eadem lege Constantinus Ablavio præfecto, sanximus sicut Edicti nostri forma declarat, sententias Episcoporum quolibet genere prolatas sine aliqua discretionem, inviolatas semper incorruptasque servari: licet ut pro sanctis semper ac venerabilibus habeatur, quidquid Episcoporum fuerit sententiâ terminatum.

Additur post hæc, quòd nec liceat ulterius retractari negotium, quod Episcoporum sententia deciderit.

XXV. Cur tanta Episcoporum sententiis auctoritas, tantaque litigantibus ad judicia Episcopalia recurrendi tribuatur libertas, subditur: Hoc nos Edicto salubri aliquando censuimus, hoc perpetua lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes; ut miseri homines, longis ac penè perpetuis actionum laqueis implicati, ab improbis petitionibus, vel à cupiditate præpropera maturo sine discedant.

XXVI. Quamvis Jacobus Gothofredus alique viri eruditi tum ex allegata tum aliis rationibus non improbabili-ter sustineant, hanc extravagantem sive edictum Constantino tribui non posse, hoc nihilominus constat jam pridem illud in Capitularibus Regum Francorum probatum, & quasi adoptatum esse, *lib. 6. cap. 366.* edit. Baluzianæ; citaturque non quidem sub nomine Constantini, sed Theodosii.

XXVII. Refertur quoque ab Ivone in suo Decreto *parte 16. cap. 312.* & à Gratiano *Caus. 11. q. 1. Can. 35. & 36.* ac tandem ab Innocentio III, tanquam primitus à Theodosio editum, & à Carolo M. innovatum adducitur & probatur in *cap. 13. De Judiciis.*

XXVIII. Vigore proinde hujus edicti licitum erat laicis non tantum ante inchoationem judicii, sed in quacunque parte litis causam è manibus judicis laici extrahere, & ad judicium Episcopi trahere, idque parte adversa refragante. Consequenter amplius dici non poterat, Episcopum tanquam arbitrum de utriusque litigantis consensu esse electum; & quasi ex compromisso causam dirimere.

XXIX. Ulterius Edictum eam tribuit judicio sive sententiæ Episcopali efficaciam, ut causæ sententiis Episcoporum terminatæ, perpetuo stabilitatis jure firmentur, nec

ulteriùs liceat retractare negotium; ut legitur apud Gratianum.

xxx. Porro notanda meritò verba, quibus hoc Edictum sub nomine Theodosii Carolus M. promulgavit; hinc enim patebit per omnes generatim suas ditiones, sive hæ jure scripto seu Romano uterentur, sive jure consuetudinario, quod hanc promulgationem fecerit consultu omnium suorum Fidelium, tam Clericorum, quam laicorum. Verba sunt: Volumus atque præcipimus, ut omnes ditioni nostræ Deo auxiliante subjecti, tam Romani quam Franci, Alemanni, Bajuvarii, Saxones, Turingii, Fresones, Galli, Burgundiones, Britones, Langobardi, Vualcones, Beneventani, Gothi & Hispani, cæterique nobis subjecti omnes, licet quocunque videantur legis vinculo constructi vel consuetudinario more connexi, hanc sententiam, quam ex sextodecimo Theodosii Imperatoris libro capitulo videlicet 11. ad interrogata Ablavii Ducis illi & omnibus rescriptam sumpsimus, & inter nostra capitula pro lege tenendam consultu omnium fidelium nostrorum tam Clericorum quam & laicorum posuimus lege cunctis perpetuò tenendam.

xxxI. Eadem indubiè mens erat Caroli M. in hujus legis renovatione & promulgatione, quæ in ipsa lege erat expressa sub nomine Theodosii; nimirum, ut populo pax & vera concordia procuraretur, litelque ac contentiones inter Fideles amicè componerentur per Episcopum communem ipsorum parrem; atque Episcopi ministerio è cordibus eradicaretur litium & dissensionum super rebus temporalibus ordinaria radix, cupiditas; & plantaretur pacis & concordie mater charitas.

Hic scopus, ut supra diximus, in ipsa lege his verbis exprimitur: Hoc perpetuà lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes, ut miseri homines longis ac penè perpetuis actionum laqueis implicati, ab impiis petitionibus, vel à cupiditate præpropera maturo fine discedant.

xxxII. Tota ergo Episcoporum jurisdictio & auctoritas in laicorum causis ad concordiam pacemque inter litigantes conciliandam, miserosque homines è litium & actionum laqueis ac tricis eripiendos tendebat. Ut proinde mirum videti haud debeat, si laicis libertas daretur ad ipsos tanquam communes pacificatores & patres recurrendi.

xxxIII. Imò Episcopi persuadere conabantur Regibus, quòd & judices laici potiùs pacificatores, quam judices esse deberent; ita Episcopi Concilii Triburiensis ad Ludovicum Regem Germanorum loquebantur. Constituite Committes & Ministros Reipub. qui placita non pro acquisitione lucriteneant: sed ut casæ Dei, & viduæ ac pupilli & populus justitiam habeant; & plus litigantes ad concordiam salva justitia revocare studeant, quam committere, ut ipsi inde aliquod lucrum possint habere. Quos si pacificare non potuerint, tunc justum judicium decerni faciant.

xxxIV. Hinc itaque fiebat, ut pleræque causæ etiam laicorù coram Ecclesiasticis agerentur; latèque ipsa auctoritas Episcopalis in decidendis quæstionibus se extenderet.

xxxv. Et reverà extensam admodum fuisse Ecclesiasticorum jurisdictionem, etiam circa causas laicorum dubitari nequit, legiturque quòd anno 1225. Ludovicus Rex Galliarum convocaverit Concilium Meloduno, ibique Archiepiscopi & Episcopi Franciæ, præsentem Legato, peterent instanter à Rege Franciæ & à suis Baronibus jurisdictionem omnium hominum super mobilibus, de quibus homines Ecclesiarum in causam traherent coram ipsis, & jurisdictione istà dicebant investitam esse Ecclesiam Gallicanam.

Huic postulationi Episcoporum Rex se opponens, argumentis evidentissimis assererat, hoc esse dissonum rationi: Cum causa mobilium (ait) non ratione juramenti, vel fidei, vel testamenti, vel maritagii petitorum merè sit laicalis, nec ad forum Ecclesiasticum videatur aliquatenus pertinere.

xxxvi. Hæc ex Chronico Turonensi referuntur tom. XI. Concil. General. col. 290. ex quibus patescit, quòd licet super postulatis Episcoporum nihil fuerit conclusum, ipsaque causa ab utraque parte posita sit in suspensio, nihilominus ex ipso Regis responso habetur.

Primò, quòd causa etiam super mobilibus ratione juramenti interpositi tunc temporis spectaret ad forum Ecclesiasticum, quòd tanquam indubitatum, supponens Bonifacius VIII. cap. 3. De Foro competenti in VI respondit, quòd Clericus possit laicum, pro quo fidejussisset; quippe juramento interposito promiserat fidejussorem servare indemnem convenire coram judice Ecclesiastico, ad cujus (ait) forum ratione juramenti causæ hujusmodi cognitio noscitur pertinere.

xxxvii. Hoc titulo omnes pene quæstiones super contractibus etiam civilibus ad Judicem Ecclesiasticum devolvebantur licet etiam causa esset realis, uti notat Mornacius ad L. 8. Cod. De Episcopali Audientia; quia nunquam ferè omittebant tabelliones adjicere præstitum à contractibus Sacramentum de servandis quæ pepigissent, ait Mornacius.

xxxviii. Ulterius ex responso Regis patet causas testamentarias ad forum Ecclesiasticum pertinuisse, quòd & notavit Mornacius loco citato.

xxxix. Rationem addit Mornacius, quòd testamenta ferè omnia conscriberentur à duobus semper Notariis, altero Regio, altero Apostolico. Dein addit: Ita ut per mixturam utriusque illius muneris ludificari & in hoc etiam mos esset imperium regium. Manus enim sola incidens Tabellionis Apostolici efficiebat levibusque velut per devias gyris negotium Ecclesiasticum, quòd aliàs, & nisi mixtura illa fuisset, plane erat profanum, & profanis, seu sæcularibus regisjudicibus Judicandum.

XL. Observavit & illud auctor Somnii Vergerii; asseritque quòd laici frequenter contractus suos coram Notariis Ecclesiæ conficerent, ut Judici sæculari se subtraherent. Multi (ait cap. 200.) magis eligunt vinculum Ecclesiæ, quam vinculum temporale; & ante aliquando dimitterent contractus facere, sine quibus non possent vivere quam se submittere Curie temporali.

XLI. Sicuti contractus coram Notario Ecclesiastico subdebantur tribunali Ecclesiastico, ita quæcunq; causa, cui quid spirituale seu Ecclesiasticum videbatur immixtum ad idem spectare dicebatur.

Hac de causa Rectores Ecclesiarum coram Judice Ecclesiastico convenire poterant Laicos, qui vel ipsorum personas, vel bona læsisse aut occupasse prætendebantur: quia de sacrilegii crimine agi videbatur. Cap. 8. De Foro Competenti.

XLII. Hæc aliaque, quæ causas etiam laicorum ad judicium Ecclesiasticum trahebant, evincunt, meritò notasse Mornacium loco supra citato: inde emittit per longas ætates unum penè, ac solum in universa Gallia forum Ecclesiasticum, evulitque toto illo tempore; quasique emarcuit Jurisdictio Regia.

XLIII. Meritò sanè id speciatim de Gallia monuit Mornacius. Nam ut constat ex disputatione super puncto Jurisdictionis anno 1327. habita inter nobiles Regiosque ministros, & Prælatos Regni Galliæ coram Philippo Valesio Rege Galliæ, in Regno Galliæ magis quam in ullo alio, jurisdictione Ecclesiastica ad omnes penè laicorum causas se extendebat; uti ex articulis à Petro de Cugneriis Consiliario Regio nomine Nobiliù & Baronù contra Prælatos propositis, & Bertrandi Episcopi Eduensis ad illos responsis colligitur.

XLIV. Hic imprimis probat Eduensis, jurisdictionem temporalem posse competere Ecclesiasticis; nec esse contrariam Sacerdotio; atque inter alia prolatis exemplis Petri, qui Ananiam & Saphiram pro crimine furti & mendacii judicialiter condemnavit; & Pauli, qui convictum fornicatorem condemnavit: nec non verbis Christi, Si pescaverit in te frater &c. Subjungit: Ecce quàm expressè vult, quòd in

in omni re, qua est peccatum unius adversus alterum, si ille, qui deliquit monitus caritative non emendaverit, debet negotium ad judicium Ecclesie referri.

XLV. Hoc principioposito, nemo non videt, quam non sit difficile, omnes planè causas ad judicium Ecclesie referre: cum nullæ ferè causæ sint, in quibus peccatum justitiæ intervenire prætendi nequeat. Quod & ipse Eduensis non obscure expressit; qui paulò post dicit: Præterea nullus dubitat, quin cognitio de peccato ad personas Ecclesiasticas pertineat: cum ergo talia non perpetrentur sine peccato alterius partis, patet quòd Ecclesia cognoscere possit.

XLVI. Dicit deinde Eduensis, quod consuetudo secundùm jura dat jurisdictionem, maximè personæ capaci: ac inde ulterius concludit: Cum ergo Ecclesia Gallicana consueverit inter laicos cognoscere in actionibus personarum & realibus alicujus Ecclesie, patet quod consuetudo potuit sibi dare illam jurisdictionem.

Hic observamus, consuetudinem in Gallia viguisse, ut & de realibus Ecclesia judicaret.

XLVII. Afferit præterea, quòd Ecclesia Gallicana magis vindicet sibi illud jus consuetudine, quam præscriptione: quia (ait) consuetudo videtur introduci magis ex voluntate & electione populi recurrentis ad judicium Ecclesiasticum, cum potius, quam ad judicium sæculare & in favorem eorum.

XLVIII. Non obscurum est, Episcopum Eduensem hic reflectere ad legem illam quam sub nomine Theodosii confirmavit & innovavit Carolus M. qua laicis facultas datur recurrenti ad judicem Ecclesiasticum etiam altera parte refragante, cujus legis ipse Eduensis jam meminerat; ejusque observantiam nomine Cleri apud Regem urget, ut mox videbimus.

XLIX. Multum confirmatur ad hoc ista consuetudo (Pergit Eduensis) quia fuit in contradictorio judicio obtenta: frequenter enim reclamantibus Baronibus, responsione Prælatorum auditâ, fuit per prædecessores vestros Reges consuetudo hujusmodi Ecclesie firmata, & per Ecclesiam pacificè obtenta.

L. Posthæc sibi hanc objectionem ex Persona adversarii format: Quare hoc sibi vendicat Ecclesia Gallicana, cum aliæ Ecclesie sibi in aliis regionibus hoc minimè vindicare noscantur? ad quod potest faciliter responderi (ait) si enim Reges Francie quos Deus singularibus privilegiis, gratiis & honoribus præ cæteris Regibus insignivit & prosperati sunt; inter cæteros propter tria, scilicet propter magnam fidem & devotionem ad Deum item propter maximum honorem & reverentiam ad Ecclesiam, item propter justitiam prælibatam ad populum sibi subditum, Ecclesie plures libertates concesserunt vel concessis uti liberè permiserunt, non est mirum imò tanta fuit ad Ecclesiam eorum devotio, quod Ecclesie tanto eis propinquiores tanto pluribus libertatibus gaudent, nec ex hoc minus habuerunt, sed plus sicut rei evidentia manifestat: imò hoc reddundat in magnam nobilitatem regni & Regis.

Quidquid sit de hoc responso; hoc equidem negari nequit, quin ipso Eduense fatente, Ecclesia Gallicana præ cæteris Ecclesiis ampliore jurisdictione uteretur.

LI. Postmodum respondet Eduensis nomine Prælatorum ad singulos articulos gravaminum per Barones & Nobiles propositos; ac dein supplicat Regie Majestati, quod placeat ei jura, libertates, privilegia Canonica, consuetudines & saisinas, quæ & quas Ecclesie Gallicanæ habent & habuerunt temporibus retroactis, eis defendere & servare, specialiter super cognitionem actionum personalium & realium mixtarum, nec non & interdictorum, maximè inter laicos.

LII. Plura alia singillatim exprimunt, quæ amplitudinem jurisdictionis indicant, atque finaliter petunt, ut placeat ei proclamationes & inhibitiones factas, scilicet quod nullus laicus trahat alium laicum coram iudice Ecclesiastico revocare: quia hoc esset omnia Ecclesiarum jura tollere.

Van Espen Jur. Eccl. P. III.

Et licet [inquirunt] in aliquibus locis pro tollenda eorum malitia in talibus proclamationibus seu inhibitionibus verba, quæ sequuntur, apponant: videlicet quod laicus non trahat alium laicum coram Ecclesia super casibus pertinentibus ad iudices sæculares seu temporales, hoc est propter jura Ecclesie usurpanda: quia multa pertinent ad forum laicorum, quæ nihilominus pertinent ad Ecclesiasticum. Et sic jus & consuetudo tollerentur, Per quæ in electione laici est, quod possit alios laicos in foro Ecclesie convenire.

Prælatos, hic rursus respicite ad legem sub nomine Theodosii à Carolo M. innovatam, quæ laicis libertatem recurrenti ad judicem Ecclesiasticum tribuit, manifestum est.

LIII. Quàm latè tunc jurisdicção Ecclesiastica in Regno etiam Gallie ex mente & opinione Prælatorum se extenderet sat probat hic discursus; uti & tractatus de modo generalis Concilii celebrandi per Guilelmum Durandum Episcopum Mimatensem Concilio Viennensi oblatus, ubi Rubrica 70. vulnera Ecclesiasticæ jurisdictioni à laicis inflicta proponit quæsi ritè expendantur, apparebit, quàm latè ex opinione Prælatorum se jurisdicção Ecclesiastica diffunderet.

LIV. Hactenus dicta ostendunt, quousque jurisdicção five auctoritas Ecclesie in judicandis & decidendis laicorum causis etiam civilibus & profanis se extenderet: quòdque & primis sæculis, Principes causas ad Episcopale arbitrium deferri optaverint; ipsasque Episcoporum decisiones irretractabiles esse voluerint.

Patet insuper, succedentibus sæculis, jurisdictioni Ecclesiasticæ non exiguas à Magistratibus civilibus & Regiis factas oppositiones.

Cognoscitur quoque quòd non defuerint Episcopi etiam Sanctissimi, qui se Magistratuum conatibus opposuere ipsamque auctoritatem & jurisdictionem Ecclesiasticam tutati sunt non quod forensibus negotiis aut causarum & quæstionum discussionibus implicari amarent, aut lucrum ex illis sperarent, sed quòd jura Ecclesiarum suarum defendenda crederent nec non putarent, causis terminandis & pacificandis suorum subditorum meritò se debere impendere, ut ipsos à litibus forensibus expedirent, & pacem & concordiam inter ipsos firmarent.

Notanda sunt, quæ in hanc rem leguntur de S. Hugone Episcopo Gratianopolitano in ejus vita apud Surium ad diem primam Aprilis: Temporalium negotiorum litigiosas causas æternorum amore, non amare, sed tolerare didicerat. Dicebat enim omni febre molestiora sibi placita, modisque omnibus his se abrenuntiaturum, si non in hoc Deum se sciret offensurum Intererat autem his tantum modo pacis obtentu, maximè pauperum atque Ecclesiarum. Ubi verò inexorabilia in aliquibus odia & inexpiabiles repererat iras, tunc demum fortissimè de Dei fisis auxilio, totusque in charitatis atque humilitatis solutus affectum, instantissimè ac devotissimè offensis pro his qui offenderant supplicabat? Quoties salutis humanæ quasi cæcatus desiderio, in cænosa se pro talibus loca projecit? quoties ad pedes contemptibilium etiam personarum prostratus jacuit? ne facilè imò penè nusquam frustrabatur optatis. Nam & si qui negassent non solum gratis, sed & cum satisfactione pœnitentes offerebant postea non roganti, quod negaverant supplicanti.

C A P U T II.

Quantopere sensim imminuta sit jurisdicção Ecclesiastica in causis civilibus laicorum in Belgio & Gallia:

I Pluribus sæculis admodum extensa auctoritas Episcoporum in decidendis causis laicorum.

A 3

2 Per

- 1 Per undecim secula videtur fuisse facultas laicis deferendi suas causas ad iudicium Episcopi.
- 2 Circa seculum 13. cepit jurisdictio Ecclesiastica in Gallia & vicinis Provinciis impeti.
- 3 Confederatio Nobilium Gallia contra jurisdictionem Ecclesiasticam.
- 4 Causam delegant aliquibus qui eam strenuè prosequantur.
- 5 Papa hunc nobilium impetum sistit.
- 6 Saeculo 13. Rex Gallia inhibuit Delegato Pontificis de rebus ad jurisdictionem temporalem spectantibus cognoscere.
- 7 Laici non patiebantur laicos conveniri coram iudice Ecclesiastico sub initium seculi 14.
- 8 Laici studebant laicorum causas jurisdictioni Ecclesiastica subtrahere.
- 9 Circa seculum 14 vulnera multa Ecclesiastica jurisdictioni inflicta queritur Guilielmus Durandus.
- 10 Sensim & frustatim jurisdictio Ecclesiastica quasi interit.
- 11 Saeculo 14. Carolus V. Francia Rex causas reales jurisdictioni Ecclesiastica subtraxit.
- 12 Dein Franciscus I. etiam quoad actiones personales laicos à jurisdictione Ecclesiastica exemit.
- 13 Inhibuit sub multa arbitraria iudicibus Ecclesiasticis citare laicos in causis merè Personalibus.
- 14 Declarat salvam jurisdictionem Ecclesiasticam in causis merè spiritualibus.
- 15 Hac Constitutio primitus tantum edita fuit per provisionem & cum aliqua limitatione. (lutam.)
- 16 Quomodo per usum transferit in definitivam & absolutam.
- 17 Principes Belgii saeculo 15. laicos in causis personalibus coram iudice Ecclesiastico noluerunt conveniri.
- 18 Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem laicos pene quo ad omnes causas à jurisdictione Ecclesiastica exemunt.
- 19 Similiter & Concordata inter Hannones & Archiepiscopum Cameracensem.
- 20 Hodie in citatione laici ad forum Ecclesiasticum debet exprimi causa: & quare?
- 21 Laici hodie in iudicem Ecclesiasticum consentire nequeunt.
- 22 Hodie abrogata Lex sub nomine Theodosii à Carolo M. promulgata.
- 23 Quæ ratio diminuta jurisdictionis Ecclesiastica remissive.

I. **P**luribus sæculis admodum extensam fuisse Episcoporum auctoritatem in decidendis causis civilibus, etiam Laicorum; eamque Principes suis legibus promovisse & stabilivisse, capite præcedenti ostendimus.

II. Videtur autem per undecim & amplius secula Ecclesia mansisse in pacifica possessione hac extensa auctoritate decidendi causas Laicorum, saltem quas Laici ad ipsorum tribunal deferrebant, ipsisque laicis integram fuisse libertatem ut dimissis iudicibus sæcularibus, causarum suarum decisionem Episcopis deferrent.

III. Verùm circa seculum 13. cepit hæc pacifica Ecclesiæ possessio turbari, ac paulatim diminui, ac tandem pene ad nihilum redigi, præsertim quoad causas civiles Laicorum; idque vel maximè in Gallia vicinisque provinciis, in quibus tamen præteritis temporibus latius, quàm in aliis regionibus se extenderat jurisdictio & auctoritas Ecclesiastica; uti ex discursu Berthrandi Episcopi Eduensis capite præcedenti notavimus.

IV. Refertur in probationibus libertatum Ecclesiæ Gallicæ ex historia Matthæi Parisiensis ad annum 1246. quòd anno 1246. plures Barones Franciæ inter se convenerint, & mutua fide obstrinxerint, jurisdictionem sæcularem, quæ tota pene absorpta erat à Clericis, revindicare & defendere. Verba ipsorum sunt: Nos omnes Regni Majores attento animo percipientes, quòd regnum non per jus scriptum, nec per Clericorum arrogantiam, sed per sudores bellicos fuerit acquisitum; præsentis decreto omnium juramento statuimus & sancimus, ut nullus Clericus vel Laicus alium de cætero trahat in causam coram ordinario iudice vel delegato, nisi super hæresi, matrimonio, vel usuris amissio-

ne omnium bonorum suorum, & unius membri mutilatione, transgressoribus imminente; certis à nobis super hoc executoribus deputatis; ut sic jurisdictio nostra resuscitata respiret, & ipsi hætenus ex nostra depauperatione ditati, quibus Dominus propter eorum superbiam profanas voluit revelare contentiones, reducantur ad statum Ecclesiæ primitivæ, & in contemplatione viventes, nobis, sicut debet activam vitam ducentibus, ostendant miracula, quæ dudum à sæculo recesserunt.

V. Refertur ibidem ex eodem Historico acta dictorum Baronum, qua constituunt quatuor è suis qui simul, vel duo ex ipsis strenuè cum plena auctoritate & potestate hoc negotium contra Clerum prosequantur; datâ quoque eisdem auctoritate exigendi etiam certam pecuniæ quantitatem à singulis de hac communitate pro expensis in prosequenda hac causa; monentque, ut si forsitan quisquam de hac communitate excommunicaretur, & hi quatuor judicarent, excommunicationem injustam, tunc non attendendo excommunicationem pergeret: Verba Actæ Gallico idiomate relatæ sunt: *A tous ceux qui ces lettres verront, nous tous desquels les se aux perdent en cest present escrit, faisons scavoir, que nous par la foy de nos corps avons fiancé & sommes aliancé, tant nous comme nos heritiers à tous jours, à ayder les uns aux autres & à tous ceux de nos terres, & d' autres terres, qui voudront estre de ceste compagnie, à pourchasser & à requerir & à defendre nos droits & les leurs en bonne foy envers la clergie. Et pour ce que seroit grievé chose nous tous assembler pour ceste besoigne, nous avons essu par le commun assent & octroy de nous tous, le Duc de Bourgogne, le Conte Petrun de Bretagne, le Conte d' Angulesme, & le Conte de S. Pol, à ce que si aucuns de ceste communité avoit à faire envers la clergie, tel ayde comme ces quatre devantdits esgarderoient qu' un homme luy doit faire, nous luy ferions. Et cest à scavoir: que ace defendre, pourchasser, & requerir, chascun de ceste communité mettra la centiesme part par son serment de la vaillance d' un an de la terre quil tiendra. Et chascun riche homme de ceste compagnie fera lever ces deniers, chascun an à son pouvoir à la purification de nostre Dame, & les delivrera où il sera mestier pour caste besoigne par les lettres pendantes de ces quatre avant nommez, ou des deux de eux Et si aucun avoit tort, & il ne vouloit laisser par ces quatre avant nommez, il ne seroit pas aidé de la communité. Et si aucun de ceste compagnie est oit excommunié par tort, cognu par ces quatre, que la clergie luy fait, il ne la seroit aller son droit ne sa querele pour l' excommuniement, ne pour autre chause qu' on luy face, si ce n'est par l' accort de ces quatre, ou des deux, ains poursuiveroit sa droiture Et si les deux des quatre moureroient ou alloient hors de la terre, les autres deux, qui demeuroient, mettroient autres deux en lieu de ces deux, qui auroient tel pouvoir que cest à devant divisé. Et si l'avenoit que les trois & les quatre allassent hors de la terre, ou mourrissent, les douze ou les dix des riches du ceste communité, esliront autres quatre qui auront ce mesme pouvoir que les quatre devantdits. Et si ces quatre, ou acun de la communité par le commandement de ces quatre font aucune besoigne qui appartient à ceste communité, la communité l' en delivreroit. Id est: Omnibus has visuris, Nos omnes quorum sigilla his appensa sunt litteris, notum facimus; quod interpositâ corporum nostrorum fide fœdus iniverimus, tam Nos ipsi quàm liberi nostri in perpetuum, ut nobis mutuo, omnibusque, qui in terris Jurisdictionis nostræ, seu in aliis degunt, huicque fœderi associari volent, opem feramus, ad promovendum, procurandum & defendendum nostra & ipsorum Jura, bonâ fide adversus Clerum. Et quia difficile foret in eum finem singulos nostrum convenire, constituimus de communi omnium assensu & venia, Ducem Burgundiæ, Comitem petrunium Britannia Comitem Inculismentem, & Comitem S. Pauli, ut si quisquam hujus communitatis adversus Clerum tali auxilio indigeat, quale prædicti quatuor judicaverint, per aliquem ipsi præstari debere, nos ipsi affera-*

afferamus, Proptereaque scilicet ut id defendamus, promoveamus & procuremus, quælibet hujus Communitatis interposito jure jurando, conferet centesimam partem redditus annui terrarum quas possidet. Et opulentus quilibet hujus Communitatis procurabit horum nummorum collectionem annuatim prout poterit in festum Purificationis Divæ Virginis tradetque ubi opus erit, in hanc operam visis litteris obsignatis prædictorum quatuor, aut duorum ex illis.

Si verò quis culpa teneretur, arbitrioque prædictorum quatuor stare detractaret, à nullo Communitatis juvaretur. Si autem quisquam hujus Communitatis injuriâ foret excommunicatus, quàm dicti quatuor censerent ei Clerum intulisse, nec querelas, nec jus suum prosequi omitteret propter communicationem, aut aliud demum quidquid contra ipsum agatur, nisi de consensu istorum quatuor aut duorum ex ipsis, verum jus suum prosequeretur. Quòd si duo horum quatuor morerentur, aut peregre proficiscerentur, alii duo qui restarent, alios duos substituerent in locum horum duorum qui eandem haberent authoritatem quam supra declaravimus. Quòd si contingeret, ut vel tres vel ipsi quatuor peregre proficiscerentur aut morerentur, duodecim aut decem ex opulentis hujus communitatis quatuor alios eligerent, qui eandem quam prædicti quatuor potestatem haberent. Quòd si hi quatuor aut quis alius ex Communitate ad mandatum horum quatuor operam aliquam præstent, quæ hanc Communitatem concernat, per ipsam damno eximeretur.

VI. Addit dein Matthæus Parisiensis: „Hæc cum audisset „Papa, ingemuit spiritu perturbato; & cupiens eorū emolli- „re corda, & constantiam enervare, admonitione præmissa „eos minis perterritus, nec se sic sensit prævalere. Contulit „igitur multis consanguineorum eorum multa beneficia „Ecclesiastica, & licentiam plura ipsis obtinendi, cum indul- „gentiis multis, nec non & plura ipsis nobilibus contulit „donativa; & sic multos eorum à prædicta Præsumptione „revocavit. Multos tamen perterritus hujusmodi tenor E- „pistolæ, credebaturque à consensu Frederici emanasse: „maximè cum hujusmodi clausula finalis concordet Episto- „læ Frederici, quam multis misit Principibus, in cujus fine „sic dicit: *Semper fuit nostra intentio voluntatis clericos cu- „juscunque ordinis ad hoc inducere & maximè maximos, ut „tales perseverarent in fine, quales fuerunt in Ecclesia primi- „tiva. Apostolicam vitam ducentes, humilitatem Domini- „cam imitantes. Tales namque clerici solebant Angelos intue- „ri, miraculis corruscare.*

Quidquid sit de hoc additamento; hoc satis constat, sub hæc tempora jurisdictioni Ecclesiasticæ non tantum oppositionem fieri cœpisse; sed & paulatim eam diminui & restringi.

VII. Occurrit in citatis Probationibus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ cap. 7. num. 6. declaratio cujusdam Capellani Pontificii, qua declarat, sibi à Rege S. Ludovico fuisse injunctum, ne de communia Belvacensi, seu de rebus pertinentibus ad eandem, nec de regalibus suis, seu de rebus aliquibus ad jurisdictionem suam secularem pertinentibus, cognoscere directè sive indirectè, seu inquisitionem facere aliquatenus præsumeret.

VIII. Scribit Mayerus lib. 10. Annalium Flandriæ, anno 1301. coactam fuisse apud Compendium Synodum Provinciale per Archiepiscopum Remorum, „ubi fulminati „Magistratus laici (ait Mayerus,) qui non patiebantur, ut „laici in foro Ecclesiastico convenirentur.

Statuta hujus Synodi edidit Labbeus in ultima Conciliorum generalium collectione ex MS. codice S. Genovesæ Parisiensis: nec obscurum est, Mayerum reflexisse ad Canonem quintum hujus Synodi, qui his verbis exprimitur: „Item cum „nonnulli temporales Domini, suis inhiabant subditis, ne „quis eorum aliam trahat in foro Ecclesiastico, in causis a- „liis à jure seu consuetudine permissis, quin imò quia sic „trahentes procedunt frequenter ad contempionem tra- „hentis & bonorum ejusdem amicorum trahentis, & bono- „rum ipsorum: nos ne talia fiant prohibentes, contra faci-

„entes excommunicationis vinculo innodamus, & denun- „tiamus à Canonibus excommunicatos.

IX. Hinc rursus apparet, Magistratus & Dominos temporales circa hæc tempora laicorum causas jurisdictioni Ecclesiasticæ voluisse subtrahere: quod & manifestum est ex articulis per Petrum Cugnerium nomine Baronum & Nobilium Franciæ contra Clerum coram Philippo Valesio propositis, de quibus capite præcedenti actum est.

X. Et quamvis Prælati & Clerus se pro tuenda sua jurisdictione fortiter & viriliter sæpius opposuerint, nihilominus Magistratus ac ministri Regi suffulti auctoritate Regiæ paulatim pertruperunt; ac sensim totam penè jurisdictionem & auctoritatem judicandi, præsertim de causis civilibus laicorum ad suum tribunal traxerunt quemadmodum circa idem tempus testatur Guilielmus Durandus in Tractatu de Modo generalis Concilii celebrandi, ubi Rubrica 70. vulnera Ecclesiasticæ jurisdictioni inflicta describens, ait: „Quasi per quandam alluvionem frustatim Domini tem- „porales ad se omnia trahunt. Et sicut frustatim lupus agnū „comedit; ita & per ipsos jurisdictio Ecclesiastica frustatim „quodammodo devoratur. Quidquid ad Ecclesiasticam ju- „risdictionem, potissimè quoad temporalia, pertinet, sibi „competere putantes. Et pauci sunt casus ad Ecclesiam perti- „nentes, in quibus directè vel indirectè per eos Ecclesiastica „jurisdictio non turbetur in diversis mundi partibus. Nec jã „constituta remedia proficere possunt sicut experiètia docet.

XI. Verissimum esse, quod Domini temporales & Magistratus Regii frustatim, sive per partes omnem jurisdictionem Ecclesiasticam de causis pecuniariis laicorum sibi attraxerint, notarunt passim auctores, & ex variis Regum Sanctionibus, & Parlamentorum arrestis successivè datis haud obscurum est.

XII. Anno 1371. Carolus V. Rex Franciæ instante Procuratore generali injungi ac inhiberi mandavit sub Magnis pœnis Regi applicandis, Archiepiscopo Senonensi, ejusque Suffraganeis & ipsorum Officialibus, ne de casibus & actionibus realibus, videlicet de rei vindicatione, petitione hæreditatis, Interdictis possessoriis acquirendi & retinendi, ac restitutoriis, & de causis retractum hæreditagiorum, nec non de redditibus annualibus, assidatis vel assisis, seu debitis & petitis super hæreditagiis, in præjudicium (ait) nostræ jurisdictionis temporalis de cætero amplius cognoscere aut se intromittere quoquo modo præsumant, sed facta & agitata in contrarium, monitiones & processus Ecclesiasticos pendentes super hoc factos vel inchoatos, si quæ vel qui sint, revocent penitus & annullent. Intergra acta habentur inter Probationes libertatum Ecclesiæ Gall. c. 7. n. 25. & apud Choppi. l. 2. De Sacra Politia t. 1. n. 6.

XIII. Hic duntaxat actionum & causarum realium cognitio Ecclesiasticis adimitur; nihil hactenus de merè personalibus. Cumque de hisce multæ ac variæ essent inter utrumque tribunal quæstiones, tandem Regiæ Constitutione Francisci I. abrogatum est indiscriminatum Ecclesiasticæ in profanis jurisdictioni, non tantum de actionibus in rem, sed in personam quoque conceptis, uti loquitur Choppi. loc. cit. t. 2. n.

Edita fuit hæc Constitutio 1539 cujus primi articuli verba sunt: „C'est à sçavoir que nous avons défendu & défendons à tous nos sujets de faire citer, ne convenir les laiz pardevant les Juges d'Egliscés actions pures personnelles, sur peine de perdition de cause, & d'amende arbitraire. Id est:

Videlicet quòd prohibuerimus & prohibeamus quibuscunque subditis nostris, ne curent citari aut in jus vocari Laicos coram Judicibus Ecclesiasticis pro causis merè personalibus, indictâ pœnâ amittendæ causæ & multæ arbitrarie

XIV. Dein. art. 2. ait: *Et avons défendu à tous Juges Ecclesiastiques de bailler ne delivrer aucunes citations verbalement ou par escrit, pour faire citer nosdits subjects pour laiz. esdites matieres d'actions pures personnelles.*

Id est: Inhibuimus quibusvis Judicibus Ecclesiasticis, ne citationes ullas insinuent aut tradant seu verbo seu scripto

in jus vocent subditos nostros merè Laicos in dictis causis actionum merè personalium.

XV. Et ne videatur jurisdictioni Ecclesiasticæ in causis purè spiritualibus ullatenus præjudicare, expressè dicit *art. 4.* illa à se ordinata salvâ jurisdictione Ecclesiasticâ in materia Sacramentorum, & aliis merè spiritualibus, de quibus Ecclesiastici cognoscere poterunt etiam contra laicos. *Sans prejudice toutes fois de la jurisdiction Ecclesiastique, ès matieres des Sacremens, & autres pures spirituelles & Ecclesiastiques dont ils pourront cognoistre contre lesdits purs laiz selon la forme de droit.*

Id est: Sine detrimento nihilominus Jurisdictionis Ecclesiasticæ in materia Sacramentorum & aliis merè spiritualibus & Ecclesiasticis, de quibus cognoscere poterunt contra dictos merè Laicos secundùm formam Juris.

XVI. Quin & *art. 3.* expressè monet, prædicta non nisi per provisionem fuisse ordinata; & nec hoc contra illos, qui contrario Arresto interveniente Procuratore Regio essent muniti. *Et ce par maniere de provision quant a ceux dont le fait à été regen, sur la possession d' en cognoistre, & jusques a ce que par nous autrement en ait été ordonné & sans en ce comprendre ceux qui en auroient obtenu arrest donné avec nostre Procureur general. s' aucuns y ha.*

Id est:

Atque Id per modum Juris fiduciarium quoad eos quorum causa admittitur ratione possessionis de illa cognoscendi, & donec aliter per Nos fuerit statutum, non comprehensio iis qui interveniente Procuratore nostro Generali decretum obtinissent, si qui tales sint.

XVII. Verùm hæc provisionalis ac limitata ordinatio sensim in definitivam & absolutam ex Curia usu & Arrestis Parliamentorum transivit, uti notat Carolus Fevretius de Abusu *lib. 4. cap. 1. num. 11.* parlamenta enim ab edita hac Regia ordinatione, omnes citationes, omnesque processus in Curia Ecclesiasticis contra laicos ex causis civilibus & profanis rejecerunt, ut nullos & abusivos, non obstantibus quibuscunque indultis, privilegiis aliisque titulis, vel possessione.

XVIII. Extat parte 1. *Edictorum Flandriae lib. 1. Rubrica 4.* ordinatio Maximiliani & Philippi de 24. Augusti 1486. qua inhibetur, ne quis in Comitatu Flandriae cujuscunque conditionis aut status in actionibus personalibus, civilibus & profanis (quarum cognitio ad temporalem ipsius Comitatus Flandriae jurisdictionem spectat) alibi quàm coram tribunali sæculari laicum citare præsumat, & quidquid in contrarium actum fuerit, cassetur & annulletur. Verba ordinationis sunt: *Vous (President & Gens du Conseil en Flandres) mandons & commettons par ces presentes, que par nos baillez & autres Officiers de nos Villes & lieux de nostre dict Pays & Comte de Flandres ou l' on est accoutume de faire cryz & publications vous faites par cry publique, telle inhibition & deffense de par nous à tous nos subjects de nostre dict pays & Comte de Flandres de quelque est at ou condition qu' ils soyent que contre ny au prejudice de nosdicts droits, preéminences & jurisdiction temporelle, ils ne tirent ou fassent titer, travailler ou molester, aucuns de nosdicts subjects lays en actions personnelles, prophanes & civiles (dont la cognoissance & jurisdiction appartient à nous, & à nos loix & indices temporelles) ailleurs que par devant icelles nos loix & indices temporelles. Ainsi, que tout ce que par eux ou aucun d' eux aura été fait ou poursuivi au contraire qu' ils le revoquent ou facent revoquer & mettre au neant: & ce sur & à peine de soixante livres parisis de nostre monnoye de Flandres, à appliquer à nostre prouffit pour autant de fois qu' ils seront trouvez faisans ou avoir fait le contraire.*

Id est: vobis (Præsidi & consiliariis Flandriae) mandamus, & per præsentis committimus, ut per Prætores nostros aliosque Civitatum nostrarum & locorum dictæ nostræ Provinciae & Comitatus Flandriae Præfectos, in quibus proclamationes & promulgationes fieri consueverunt, curatis per proclamationem publicam talem inhibitionem

nostro nomine omnibus subditis nostris dictæ Provinciae & Comitatus Flandriae cujuscunque gradus aut conditionis fuerint, promulgari, ne in detrimentum aut contra dicta nostra jura, prærogativam & temporalem jurisdictionem, in jus vocent aut vocari faciant, vexent, aut infestent quempiam dictorum nostrorum subditorum Laicorum quoad actiones personales, profanas & Civiles (quorum cognitio & decisio Nobis, legibus nostris & sæculari tribunali competit) alibi quam coram tribunali isto & legibus Civilibus. Sed ut quidquid actum fuerit aut institutum in contrarium revocent aut vocari jubeant & irritum fieri, idque indicta pœna sexaginta librarum parisis monetæ nostræ Flandricæ in emolumentum nostrum convertendarum, toties quoties deprehendantur contra hæc delinquere vel deliquisse,

Id ipsum rursus pro Comitatu Flandriae ordinavit per formam Edicti Carolus V. anno 1522. extatque eodem loco. Verba idiomate Flandrico expressa sunt: *Wi hebben by goede ende rype deliberatie van raede ende ny onsen eygen mouvement rechte vvetenheyt ende vulcomen macht gheordonneert ende gestatueert, ordonneren ende statueren by vorme van Edicte, midts desen onsen brieve dat nyemand vwie dat by zy, binnen onsen lande ende graefschape van Vlaenderen hem voors aen en vervoordere eenighe leeke ofte vverlicke persojoenen (van vvat state ofte conditie by zy) te dagbene ofte doen daghene, betrekene, traveillierne. oft andersins te molesteren in enigher manieren, voor ende comme zaecken en actien personele, reele, mixte, prophane ende civile elders dan voor heurlieder vveerlicke rechtenonde Jugen dient behooren zal op de peyne ende boete van Sestigh ponden parisis, van tvvintigh grooten onser vlaemischen munte' ipont, telcker reyse als zy bevonden vverden zullen dat ghe daen thebenne: ende oock mede, indien zy yet daer teghens gheattempteert hadden, dat zy ghehanden zullen vvesen selve te renuntierene ende doen renuncieren tot hueren laste ende coste.*

Id est: Nos ex matura & æqua deliberatione & consilio & motu proprio, certa scientia & plena autoritate mandavimus & statuimus mandamus & statuimus in forma Edicti per has nostras litteras, ut nemo quicumque sit in hac nostra Provincia & Comitatu Flandriae in posterum præsumat Laicos ullos aut personas sæculares (cujuscunque gradus aut conditionis extiterit) citare aut citari jubere, in jus vocare, vexare, aut ut aliàs ullo modo in commodum iis facillime ob causas & actiones personales, reales, mixtas, profanas & civiles alibi quàm coram ipsorum Judicibus & Justitia sæcularibus quibus competet. Sexaginta librarum parisis viginti grossorum monetæ nostræ Flandricæ in libram, pœnâ, indictâ toties quoties id fecisse deprehendantur. Deinde si quid contra ausi fuerint ut teneantur iisdem actis, sumptu & onere propriis renuntiare aut renuntiare curare

Insuper mandat sub pœna 60. librarum, omnibus Judicibus Ecclesiasticis, promotoribus, Scribis, Notariis, Procuratoribus, aliisque omnibus, ut caveant, posthac in Comitatu Flandriae expedire aliquam citationem, monitionem, aliamve provisionis formam, in materia & actione personali, reali, civili vel profana (cuius cognitio ad judicem sæcularem spectat) aut vi hujusmodi citationis & monitionis, urgere aut urgeri facere aliquem laicum, non obstante quacunque contraria juris dispositione, consuetudine aut praxi, quibus per se præsens Edictum derogat, *Insgelicks hebben vvy gheordonneert ghestatueert ende verboden, ordonneren, statueren ende verbieden by desen, an alle gheestelicke rechters ofte Jugen, Promoteuren, Scriben Notarissen, Procureurs ofte ander vvye zy zyn, dat zy hem verdragen van nu voort an, binnen onsen voorseyden lande ende Graefschape van Vlaenderen, eenighe citatien, monitien ofte andere manieren van provisien te decer nerene oft expedierene, van materien ende actien personele, reele, civile ofte prophane (dan of de kenneffe den vverlicken rechters competeert ende toebehoort) noch oock nyt crachte van zulcke citatien ende monitien*

te vervolghene of doen vervolghen, eenighe vande voorseyde lecke ende vuerliche personen, op gelijcke peine ende boete van Sestigh pond parisis, te vebuerine by den ghuenen die ter contrariën ghedaen zal hebben, telcker reise als dat gebueren zal: ende dat zy daer toe bedwonghen worden, by die peyne verschreven Ende indien zy dat ghedaen hadden, dat zy selve terstont renunciëren tot hueren eyghen coste: niet teghensstaende eenighe dispositie van rechte, costume ofte usantie ter contrariën, de vvelcke vuy hebben in die stick gederoguiert ende deroguieren mits desen onsen brieve. Id est: Similiter mandavimus statvimus, & prohibuimus, mandamus, statuimus & prohibemus per hasce quibuscunq; Ecclesiasticis Judicibus, Promotoribus, Scribis, Tabellionibus, Procuratoribus aut aliis quicunque demum fuerint, ne in posterum in hac dicta nostra Provincia & Comitatu Flandriæ præsumant citationes, monitiones aut alterius generis rescripta decernere & expedire in causis & actionibus personalibus, realibus, civilibus aut profanis (quarum cognitio Judicibus Sæcularibus competit, ad eosque spectat) nec in vim talium citationum & monitionum quempiam prædictorum Laicorum & Sæcularium personarum persequantur aut persequi jubeant. Simili pœnâ & multa sexaginta librarum Parisiis indicta, persolvenda pereum qui contra hæc deliquerit, toties quoties id contingerit. Et per dictam pœnam ad id compellantur, Si autem id egerint, ex templo actis proprio sumptu renuntient: non obstante quâvis Juris dispositione, consuetudine, aut usu contrariis, quibus in hac parte derogavimus & derogamus per halce nostras litteras.

XIX Concordata inter Episcopum Leodiensem & Carolum V. de 1541. laicos penè in omnibus causis Privativè judicii sæculari subjiunt; declarantque quòd nec hujusmodi causis se potuerunt Judices Ecclesiastici immiscere. Solæ fere causæ testamentariæ & dotales sive ex contractibus antenuptialibus resultantes & de bonis amortizatis excipiuntur, idque cum variis limitationibus, modificationibus, uti, titulo sequenti latius exponetur.

XX. Habentur hæc Concordata parte 1. Edictorum Brabantia lib. 1. tit. 1. cap. 8. ubi & cap. 3. refertur confirmatio Concordati inter Archiepiscopum Cameracensem & Consiliarios Hannoniæ, in quo inter cætera cavetur art. 21. quòd in posterum judices Ecclesiastici non citabunt, aut citari facient Hannonæ pro debitis procedentibus ex contractu, mercatura, aut alia finali causa civili. *Item ceux d' Eglise se garderont d' oresnavant de citer ou faire citer les manans du pays d' Haynault pour sommes de deniers procedans des contrats, marchies, & autres semblables purement civils.*

Ist est. Item cavebunt in posterum Ecclesiastici, ne citent aut citari jubeant incolas Hannoniæ ratione pecuniæ ex contractu, emptione, aliisque talibus merè civilibus debita.

XXI. Ordinatione Regia anno 1512. in Gallia cautum fuit, nullum laicum coram judice Ecclesiastico vocari posse, nisi in citationis libello nominatim adscribatur causa ex qua citatur. Hujus Ordinationis meminit Renatus Chopinus De Sacra Politia lib. 2. tit. 1. nu. 4. qui & addit: „Minimè verò otiosa Regia illa constitutio, ne profani Ordinibus viri promiscuè apud Pontificios Præfectos conveniantur, ne vè hi indiscriminatim de omni causarum genere cognitionem interponant.

Id ipsum anno 1521. ordinavit Carolus V. ut causâ sic expressâ deliberare & cognoscere queant laici citati, num coram judice Ecclesiastico comparere debeant, an verò citationes hujusmodi aliâ viâ cessare faciant. Verba sunt: *Ordonnons & statuons par ces presentes, par maniere d' Edit perpetuel, que d' oresnavant toutes les Citations à emaner & decerner par les Officiaux & autres Juges Ecclesiastiques desdictes Cours spirituelles de Cambray, Arras, Tournay, Terouane & autres, contre nosdits subjects & gens Lais soyent libelles & narrees dès Causes, Raisons & actions, pour lesquelles elles se decernent & octroyent: à fin que nosdits. Subjects Lais cites, puyssent par icelles sçavoir & deliberer [sans autres Frais, Travail ou Despens] de ce qu' ils en auront à faire:*

& s' ils sont tenus de comparior esdicts Cours, ou faire cesser lesdictes Citations par autre voye: veuillant & ordonnant par cesdictes presentes, de nostre certaine science qu'aux Citations autrement expediees & decernees, ne soit aucunement obey.

Id est: Mandamus & statuimus per has præsentis in forma Edicti perpetui, ut in posterum omnes citationes quæ emanabunt & decernentur per Ministros aliosque Judices Ecclesiasticos dictarum Curiarum Ecclesiasticarum Cameracensis, Atrebatensis, Tornacensis, Teroanæ & aliarum adversus præfatos nostros subditos & Laicos, non insinuentur sine libello & narratione causarum, rationum & actionum, ob quas decreta fuerint & concessa. Eatenus ut dicti nostri subditi Laici citati inde possint cognoscere deliberare (omissis aliis sumptibus, molestiis & impensis) quid ipsis agendum incumbat: & utrum in dictis Curiiis sistere se teneantur, aut dictarum citationum cessationem alio modo procurent: volentes & mandantes per hasce præsentis ex certa nostra scientia, ut Citationibus alio modo decretis & confectis non deferatur.

XXII. Testatur insuper Fevretius De Abusu lib. 4. cap. 6. num. 1. axioma hoc moribus Gallia receptam esse, laicum in judicem Ecclesiasticum consentire non posse, sive ejus jurisdictionem prorogare.

Similiter in Hispania teste Emanuele Gonzales in Commentario ad Cap. 18. §. De Foro competenti num. 10. speciali Principis jussione inhibitum est laicis, Ecclesiasticorum judicium prorogare jurisdictionem, si rei sint; quòd si faciunt, nullus est processus coram Ecclesiastico fabricatus; Fiscalisque Regius petere in Aula Auditorum potest, ut talis declaretur, Quæ quidem leges Regiæ (pergit Gonzales) nec sunt contra immunitatem Ecclesiasticam, neque contra illam jurisdictionem: quia in laicos, reos, causisque merè profanis nulla Ecclesiasticis judicibus competit jurisdictione.

Posthæc concludit Gonzales: „Substinenda ergo est lex politica, quam omnes Christianæ nationes habent. Tum ibidem refert variarum Nationum auctores, qui de hac Præxi testantur.

XXIII. Hinc facilè cognosci potest, ad quàm angustos limites hodie restricta sit auctoritas vel jurisdictio judicium Ecclesiasticorum in causis civilibus & profanis laicorum; quodque jam planè abrogata sit lex illa, quam sub nomine Theodosii renovaverat, & per omnes sui Imperii ditiones observari voluerat Carolus M. qua lege permittebatur laicis, in quacunque parte litis judicem sæcularem declinare, causamque ad judicem Ecclesiasticum transferre; idque & altero litigante etiam refragante; quemadmodum capite præcedenti latius expositum fuit.

XXIV. Hæc jurisdictionis Ecclesiasticæ in decidendis causis civilibus præsertim laicorum diminutio cœpit & crevit cum ipsa immutatione formæ sive modi exercendi judicia Ecclesiastica, tum quoad personas judicium sive decidentium causas, tum quoad instructionem & examen causarum. Quæ enim primitus per Episcopos tanquam amiables arbitros sine strepitu & formalitatibus forensibus decidebantur; cœperunt postmodum per Officiales ad rigorem juris, & adhibitis omnibus solemnitatibus modo forensi tractari & decidi; adeo ut in forma procedendi à sæculari judicio vix differrent; quemadmodum in sequentibus latius ostendetur, ubi unâ demonstrabitur, quomodo hæc judiciorum Ecclesiasticorum formâ introductâ, mirum non sit, quòd ipsæ laicorum causæ civiles Ecclesiasticis judicibus substractæ fuerint.

CAPUT III.

Quæ fuerit jam pridem Episcoporum auctoritas in decidendis causis civilibus Clericorum?

1. Olim etiam sanctissimi Episcopi decidendis causis laicorum se impendebant.
2. Decidebant causas potius ut arbitratores, quam ut Judices
3. Cau-

- 3 *causam ad Episcopum deferre olim penè erat idem quod liti renuntiare.*
- 4 *Ratio ob quam conveniat, ut Clerici suas quæstiones committant decidi ab Episcopo sine strepitu judicii forensis.*
- 5 *convenit id Clericorum & Monachorum vocationi.*
- 6 *Canones volunt Clericos à litibus abstinere, & præcipiunt Episcopis, ut ipsos ad concordiam revocent.*
- 7 *Olim Clericus in causa civili recurrens ad sæculare iudicium relicto Episcopo multabatur.*
- 8 *Dicebatur hujusmodi Clericus indignè de Ecclesia sentire.*
- 9 *Concilium Chalcedonense vult ut causa Clericorum vel per Episcopum vel per arbitros decidatur.*
- 10 *Concilium unice intendit, ut Clericorum quæstiones sine strepitu litis deciderentur.*
- 11 *Quomodo S. Augustinus quæstiones inter suos Clericos & Monachos componeret?*
- 12 *Deferenda est quæstio ad Episcopum, tametsi laicus contra clericum quæstionem habeat.*
- 13 *Id voluit Justinianus Imp.*
- 14 *Justiniani mens fuit Clericos & Monachos à forensibus jurgiis eximere.*
- 15 *Justinianus abrogavit legem, qua Monachos Provinciarum Rectoribus subiciebat.*
- 16 *Ne à sacris suis officiis avocarentur, volebat eos extra Provinciam evocari.*
- 17 *Causas clericorum decidi vult Justinianus sine solemnitate judiciali.*
- 18 *Scopus privilegii Fori est litium Clericorum amicabilis decisio; utque cause celerimè terminentur.*
- 19 *Qualiter sententia Episcopi in causis Clericorum executioni mandanda ex Constitutione Justiniani.*
- 20 *Exemptio Clericorum à foro sæculari per recentiores Principum & Prælatorum leges confirmata.*
- 21 *Capitularia Regum Francorum volunt clericum à suo Episcopo & non à iudice sæculari judicari.*
- 22 *Laicus vetatur clericum trahere ad publicum iudicem.*
- 23 *Judex publicus olim opponebatur iudici Ecclesiastico.*
- 24 *Circa sæculum 12, Pontifices & Episcopi multum hanc Clericorum exemptionem urserunt, & extenderunt.*
- 25 *Innocentius III. respondit, clericum privilegio fori nequidem in causis profanis renuntiare posse.*
- 26 *Nequidem cum juramento.*
- 27 *Conformiter ad hoc Innocentii responsum etiam postmodum in Synodis decretum fuit.*
- 28 *Nec per contractum clerici se laico iudici subicere poterant.*
- 29 *Clericus plerisque in locis laicum ad iudicem Ecclesiasticum citare poterat.*
- 30 *In recentioribus Synodis exemptio clericorum à jurisdictione laicorum confirmatur.*
- 31 *In asserenda clericorum exemptione idem semper mansit Ecclesie scopus & spiritus.*

Ostendimus c. i. quantopere sanctissimi etiam Episcopi se impenderint decidendis quæstionibus & disceptationibus Fidelium, etiam super rebus temporalibus & profanis; idque non dominandi animo, aut auctoritatem jurisdictionemque suam amplificandi spiritu; sed pacem ac charitatem inter Fideles conciliandi, ipsosque à forensibus iudiciis, ad mentem Apostoli, avocandi studio.

II. ipsa quippe iudicia Ecclesiastica (uti & ibidem notavimus) primitus erant amicabilia arbitra potius, quam iudicia; ipsique Episcopi non tam iudicis, quam amicabilis arbitratoris partes exercebant: nec tam ad rigorem legum & juris civilis, quam juxta leges charitatis quæstiones ex æquo & bono decidebant.

III. Unde quæstionem vel causam ad Episcopum deferre idem erat, ac iudicio Forensi renuntiare, & causam arbitrio Episcopi sine strepitu judicii decidendam committere. Quapropter S. Augustinus Christiano iusto quidem, sed tamen in-

firmiter permittit, temporalia sibi ablata repetere sed Ecclesiastico, non Forensi iudicio. Describens enim l. 3. ad Banifacium c. 5. hominem perfectissimum in fide & Charitate, & hominem iustum quidem, & ex Fide viventem, sed me perfectiorem, dicit inter cætera de illo: Eleemosynarum largissimus, injuriam patientissimus, qui non solum non auferat aliena, sed nec sua reposcat ablata. De hoc autem ita pronuntiat: Possidet rem familiarem, faciens inde eleemosynas, non tamen quam ille tam largas; non auferit aliena; sed quamvis Ecclesiastico iudicio, non Forensi, tamen repetit sua.

IV. Si ergo Ecclesia tantopere sollicita fuerit, ut communes fideles à Forensibus iudiciis retraheret, iique suas quæstiones de rebus temporalibus, ut minus ipsis Episcopis aut sapienti alicui, secundum monitum Apostoli, decidendas & terminandas sine Forensi strepitu crederent, quid mirum, si Clericos & Monachos à Forensibus iudiciis abstinere iusserit: utpote, qui præ communi populo rerum terrenarum contemptum profitentur, ipsique populum tenentur suo exemplo illarum contemptum docere.

V. Accedit quod Clericorum & Monachorum vocationi & instituto magis, quam laicorum contrarietur forenses litium tumultus, Cum enim Clerici Ecclesie Ministerio ad spiritualem animarum profectum sint destinati; & Monachi ad vitam solitariam, & à mundo absconditam & abstractam, sat clarum est, statui & vocationi ipsorum planè contrariari jurgiis & litibus forensibus implicari.

VI. Ex Concilio Carthag. IV. Can. 19 refert Gratianus *caus. 14. q. 1. Can. 1.* Episcopus nec provocatus pro rebus transitoriis litiget.

Et *Dist. 90. Can. 1.* ex eodem Concilio recitat: Discordantes Clericos Episcopus vel ratione vel potestate ad concordiam trahat; inobedientes Synodus per audientiam damnet.

VII. Volebant igitur Patres, ut Clerici quæstiones suas Episcopis subicerent, & Episcopi ipsos ad concordiam revocarent. Concil. Carthag. III. cui Augustinus inter fuit, *Canone 9.* decernit; item placuit, ut quisquis Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum seu Clericorum, cum in Ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel civilis causa fuerit commota, si relicto Ecclesiastico iudicio, publicis iudiciis purgari voluerit etiam si pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali iudicio in civili vero perdet quod evicit, si locum suum obtinere voluerit,

VIII. legitur hic Canon apud Gratianum *caus. 11. quæst. 1. Can. 34.* cum additamento: Cui enim ad eligendos iudices undique patet auctoritas, ipse se indignum fraterno consortio iudicat, qui de universa Ecclesia malè sentiendo de iudicio sæculari poscit auxilium, cum privatorum Christianorum causas Apostolus ad Ecclesiam deferri, atque ibi terminari præcipiat.

Monet autem Justellus in notis ad Codicem Ecclesie Africanæ: Quæ quidem verba in omnibus Latinis Græcisque codicibus editis & manuscriptis, quibus in hac editione usus sumus, non habentur, nec in collectione Dionisii Exigui Moguntia edita anno 1525.

Quisquis interim hæc verba Canoni addidit, indicare voluisse videtur, quam indignè agant Clerici, qui quasi indignius de Ecclesia sentientes quam Laici, sæcularia iudicia præ Ecclesiasticis eligunt.

IX Quapropter Patres Synodi Chalcedonensis *Can. 9.* decreverunt, Si quis Clericus habet cum Clerico litem aut negotium, proprium Episcopum non relinquat, & ad sæcularia iudicia ne excurrat, sed causam prius apud proprium Episcopum agat: vel de Episcopi sententia apud eos, quos utraque pars elegerit, iudicium agitur; Si quis autem præter hæc fecerit, Canonis poenis subiciatur.

X. Quid hinc aliud intendit Synodus Chalcedonensis, nisi Clericus aditum ad sæcularia & forensia iudicia occludere, iisque præcipere, ut quæstiones inter ipsos exortas arbitrio Episcopi determinandas committant, vel certè ex Episcopi sententia & consilio aliis quos elegerint; id est, *arbitris*
Unde.

Unde Isidorus Canonem hunc referens legit: *Apud ARBITROS ex utraque parte electos audiatur negotium*: quam lectionem secutus videtur Gratianus *caus. 11. Can. 46.* quamvis non rectè restringat recursum ad arbitros ad casum quo esse *negotium ipsius Episcopi*.

XI. Quomodo lites inter Clericos Monachosque suos componeret terminaretque Augustinus, ipse exponit Ser-mone 49. "De Diversis seu 355. novæ editionis: Si pueri isti servi Dei sunt (ait) litem hanc inter illos cito finimus. Audio illos ut pater, & fortè melius quàm pater ipsorum. Videbo quid sit juris, sicut Deus voluerit cum paucis fratribus fidelibus honoratis, Deo propitio, de numero vestro, id est, de plebe ista. Audio inter illos causam; & sicut Dominus donaverit, finio.

XII. Nec duntaxat quæstiones Clericorum & Monachorum ad Episcopum deferendæ erant, si Clericus contra Clericum, & Monachus contra Monachum quæstionem haberet, sed etiam si Laicus quæstionem haberet contra Clericum, aut Monachum, ad Episcopum deferri debere, non tantùm sacris Canonibus; sed & Principum legibus cautum erat.

XIII. Justinianus Imperator in *Novella 79. cap. 1.* sancivit, si quis quancunque habuerit causam cum aliquibus venerabilibus Sanctimonialibus, aut sacris virginibus, aut mulieribus omnino in Monasteriis consistentibus, Deo amabilem civitatis illius Episcopum interpeller. Ille verò mittat & cum omni honestate, quæ sunt de Personarum præsentia disponat: sive oportet per Abbates, sive per Responsales, sive per alios quoslibet hoc fieri. Ipsi verò cum omni veneratione sacerdotali causam examinent & judicent, & civiles non sint penitus eis iudices, neque confundant eorum honestatem, cum idonei sint Deo amabiles singulorum civitatum Episcopi, & quæ de lite sunt, & de cautela judiciorum disponere & judicare honestè atque sacerdotaliter, & secundum leges nostras, & sacratissimas regulas. Si enim & qui aliquam rationem habere putantur, merebuntur justitiam, & honestas sacrorum inviolata integraque servabitur.

Quamvis hic duntaxat Sanctimonialium & mulierum in Monasteriis manentium mentio fiat, nihilominus ex *cap. 2.* & epilogo *Novellæ* constat, eandem & ad Monachos Constitutionem extendi.

XIV. Vult ergo Justinianus causas Monialium & Monachorum ad Episcopos deferri, ut ipsi non tanquam iudices civiles judicialiter & cum strepitu & formula forensi, sed honestè & sacerdotaliter eas terminent: ut ita à forensi contentione Monachi expediti sine impedimento Deo vacare queant; quod & *cap. 2.* expressit dicens: "Sed etiam accelerari lites sancimus Monachis illatas, ut non mens eorum occupetur circa lites sollicitudinem: sed velociter liberari, factis operibus obsecudent.

XV. Rectè notat Cujacius ad hanc *Novellam*, quod hic Justinianus abrogaverit Constitutionem, quæ refertur in *L. 33. Cod. De Episcopis*, qua decernitur, Monachos ad iudices extra suas Provincias trahi non posse, sed apud suos iudices ordinarios, id est, provinciarum Rectores, in quibus locis degunt, Ecclesiarum ministeriis obsecudent (quod ad Clericos de quibus etiam hic agitur, refertur) omniumque contra se agentium excipiant actiones.

XVI. Porrò quamvis hæc lex antiquata sit per Justinianum quatenus Monachos ad Rectores Provinciarum evocari in causis civilibus permittebat; nihilominus & hoc in favorem Monachorum cavebatur, ne ad quosvis longè etiam extra provinciam distitos iudices, quemadmodum communes laici, conveniendi essent: "ratione hac notandâ: ut his fioris saltem atque temporibus, quibus religiosos viros à turbulenta observatione prætorii vacare contigerit, cumque eos ad tempus petitorum intentio calumniosa laxaverit, ad sua se monasteria & venerabiles Ecclesias conferentes, sapienter animo, precatione sollicita, faciliusque de proximo sacrosanctis altaribus obsecudent, in suis laribus domiciliisque constituti.

XVII. Hinc rursus manifestum est, ipsos etiam Principes Christianos, jam pridem sollicitos fuisse, ne per tumultum forensium negotiorum sanctum Monachorum otium turbaretur.

Quod in citata *Novella* de Monachis decreverat Justinianus, id postulante Menna Patriarcha Constantinopolitano per *Novellam 83.* ad Clericos extendit, nimirum ut si quis habeat adversus eos pecuniariam causam, Prius ad Deo amabilem Archiepiscopum pergat, sub quo constitutus est, & interpellet eum, & ex non scripto iudicium mereatur, & si hoc fiat, nec inquietet eum, nec trahat ad auditoria civilia, neque à sacro eum vocare faciat ministerio; sed ex non scripto examinetur negotium sine damnis, & accipiat formam forsitan etiam scriptam, & si hoc quoque partes voluerint & proposuerint, & liberentur alterutro certamine.

Finalia verba *liberentur alterutro certamine* rectè interpretatur Dionysius Gothofredus in notis, id est, *exceptionibus & dilationibus nimis*.

Et Cujacius ad prædictam *Novellam 79.* hanc præsentem *Novellam 83.* breviter sic contraxit: "Ex *Novella 83.* Clerici actione pecuniaria committuntur coram Episcopi, qui litem finiat celerrimè sine sumptu, & sine scriptura solemnè.

XVIII. Itaque omnis scopus hujus privilegii Clericalis, quod hodie *privilegium fori* vocatur, fuit, ut Clericorum causæ citra strepitum forensium quàm citissimè finirentur; quod Justinianus in eadem *Novella* indicat, ubi §. 1. declarat, quod si aut propter causæ naturam, aut propter quandam fortè difficultatem non fuerit possibile Deo amabili Episcopo decidere negotium, tunc licentiam esse & ad civiles iudices pergere, & privilegiis omnibus custoditis, quæ reverendissimis Clericis sacræ præstant Constitutiones, & litigare, & examinationem fieri, & terminum imponi liti, & ita liberam fieri causam clarissimis iudicibus secundum nostras constitutiones vel leges studentibus cum magnanimitate & velociter lites decidere.

Velociter ergo decidi lites Clericorum præcipit, rationem subjungens: "Ut non propter hujusmodi causas sacris amoveantur obsequiis, & cum oporteat Deum placari, & decencia Sacerdotibus agi, auditoriis detineantur & illis turbis, atque inhærente tumultu litigantium animabus.

XIX. Has leges postmodum rursus confirmavit Justinianus *Novella 123. cap. 21.* addita tamen hac moderatione; ut si Episcopus sententiam tulerit, & alter litigantium intra decem dies contra dicat iis quæ judicata sunt, tunc locorum iudex causam examinet, & si invenerit iudicium rectè factum, etiam per sententiam propriam hoc confirmet, & executioni propriæ tradat, quæ judicata sunt: & non liceat secundo in tali causa victo appellare. Si verò (pergit Justinianus) iudicium sententia contraria fuerit iis quæ à DEO amabili Episcopo judicata sunt, tunc locum habere appellationem contra sententiam iudicis & hanc secundum legitimum ordinem referri & exerceri. Si tamen ex imperiali iussione aut judiciali præcepto Episcopus iudicat inter quas-cunque personas: appellatio ad Imperium, aut ad eum, qui transmisit negotium, referatur.

XX. Hanc auctoritatem Episcoporum in decidendis Clericorum causis, & eorum à jurisdictione Laicorum exemptionem posteriores Principes & Synodi sæpius renovârunt & confirmârunt.

XXI. Libro 1. *Capitularium Regum Francorum cap. 28.* legitur conformiter ad Canonem Calchedonensem supra relatum: "Si Clerici inter se negotium aliquod habuerint, à suo Episcopo dijudicentur, & non à secularibus.

XXII. Sub idem tempus in *Capitularibus Herardi Archiepiscopi Turonensi* legitur: "Ut nullus Laicorum quemquam Clericorum absque permisso Episcopi compellat ad causas ite ad publicum. Et qui fecerit donec corrigat, ab Ecclesiæ societate pellatur.

XXIII. Dum hic vetatur Laicis Clericos ad publicum tra-

trahere, vetitum censetur ad judicem sive Magistratum civilem trahere. Nam uti rectè observavit Hieronymus Bignonius in notis ad lib. 1. Formularum Marchali Monachi cap. 3. eo tempore soli judices civiles sive sæculares dicebantur *publici* judices. Et in Cap. 12. *De Foro competenti* accipiuntur *publica* iudicia pro Jurisdictione sæculari, opponunturque cognitionibus Ecclesiasticis, uti ibidem notavit Emmanuel Gonzales.

XXIV. Mirum quanto zelo sequentibus sæculis hoc privilegium Clericorum, ne à Laicis ad judices sæculares trahi possent, urserint Pontifices & Episcopi, uti vel ex Decretis eorum, Decretalibus Gregorii IX. insertis cognoscere possumus.

XXV. Legitur in Cap. 12. *De Foro competenti* responsum Innocentii III. Pisano Archi-Episcopo, idest Lothario, qui fuit Juris Civilis Glossator, uti observat Gonzales in notis ad dictum Cap. 12.

Crediderat hætenus Lotharius, quod licitum esset Clerico renunciare, saltem in temporalibus, Juri suo, & sibi laicum judicem constituere, præsertim ubi voluntas adversarii accederet; ipsumque juramentum interpositum esse servandum. At respondet Innocentius, Clericos huic juri renunciare non posse, rationem hanc addens: quia *pactio privatorum juri publico minimè derogatur*. Dein citato Canone Carthaginensi supra relato infert: Manifestè patet, quod non solum invitè, sed etiam voluntariè pacificè non possunt, ut sæcularia iudicia subeant: cum non sit personale Beneficium, cui renunciare valent, sed potius toti collegio Ecclesiastico sit publicè indultum, cui privatorum pacto derogari non potest.

XXVI. Quin & addit: Nec juramentum licitè servari potest, quod contra Canonica statuta illicitis pactioibus informatum.

Ex hoc responso Innocentii III. concludunt Canonistæ, Clericum se non posse Judici sæculari submittere etiam medio juramento; tametsi Justinianus id permiserit: quam Justiniani Constitutionem per hanc Decretalem abrogatam esse dicunt.

XXVII. Conformiter ad hoc responsum legitur in Synodo Exoniensi anno 1287. *Can. 30.* Cum nec volens, nec invitus Clericus Clericum super re spirituali, aut quacunque actione personali sibi competente, vel suis, trahat in causam correctionis coram iudice sæculari. Alioquin illum qui hoc facere attentaverit, causam perdere declaramus.

XXVIII. Et *Can. 41.* ubi altè deplorat, quod indies magis magisque laici nitantur subicere suæ ditioni Clerum & Ecclesiæ libertates. Quorum potius (ait) temerariam audaciam refecare tenemur, quam fovete. Deinde concludit: Prohibemus igitur sub pœna excommunicationis, ne Clerici, maximè beneficiati pro debito proprio vel alieno, distractioni se obligent Judicis sæcularis: cujus obligationis prætextu, laici de facto, quamquam de Jure non valeant, Clericos ad iudicia sæcularia pertrahant.

XXIX. Nec tantùm Clericum coram sæculari iudice vocari posse receptum erat sæculo 12. & 13. sed & plerisque locis consuetudo invaluerat, ut Clericus etiam laicum coram iudice Ecclesiastico vocaret ad vindicandam rem à laico possessam, licèt eam suam esse laicus prætendebat: quemadmodum testatur Alexander III. in cap. 5. *de Foro comp.*

XXX. In Synodis recentioribus passim renovatas has Decretales & pristinos de hac exemptione Clericorum à sæculari Jurisdictione Canones videmus; ac signanter Concilium Constantiense sub Martino V. renovavit Constitutionem Frederici II. Imperatoris: Nullus Ecclesiasticam personam in criminali quæstione vel civili ad sæculare iudicium præsumat attrahere, contra Canonicas sanctiones & constitutiones Imperiales.

Concilium Moguntinum anno 1549. *Can. 76.* statuit, ut actor Clerico coram sæculari iudicio actionem intendens, eo ipso omni causa cadat, nec amplius ad ejus causæ quærelam, etiam coram Ecclesiastico iudice admittatur.

XXXI. Porro in hac Clericorum à Jurisdictione laicorum

exemptione semper idem fuit Ecclesiæ scopus, idemque spiritus; nimirum, ut ipsos à litibus & tumultibus forensibus avocaret; quæstionesque inter ipsos suscitatas amicabiliter interveniente Episcopo aliove prudente ac sapiente viro, ad mentem Apostoli, componerentur & terminarentur; uti rectè advertit Ludovicus Thomassin: De Discipl. Ecclesiæ parte 4. lib. 2. cap. 89. tametsi nonnulli Prælati nonnunquam dominandi spiritu, aut quæstus causâ in usu jurisdictionis, ejusque defensione processerint: quia hi ipsum Ecclesiæ spiritum & scopum mutare non potuerunt; quamvis forsan his Prælati, eorumque excessibus ipsa jurisdictionis Ecclesiasticæ collapsio non immeritò imputetur; uti infra latius ostendetur.

CAPUT IV.

Quibus casibus hodie Clerici in Civilibus coram iudice Sæculari conveniantur.

- 1 Quando & quâ de causâ causa Clericorum præsertim civiles ad tribunalia laicalia devolvi cœperint.
- 2 An de hac devolutione Episcopi hodie conqueri debeant?
- 3 In Gallia circa tempora Philippi Valesii exemptio Clericorum immitti cœpta.
- 4 Conquerebantur tum temporis quod iudex Ecclesiasticus impediret quominus Clericus in causa hæreditaria conveniretur coram laico.
- 5 Quid huic quærelæ responderint Prælati.
- 6 Ex ipsorum quærela, & responso colligitur, etiam prætendisse iudices Ecclesiasticos cognoscere de causa reali inter Clericos, quod & juri communi conforme prætenditur.
- 7 Usus cognitionem in causa reali ad iudicem laicum etiam inter Clericos transtulit.
- 8 Jam pridem solemnè arresto interdictum iudici Ecclesiastico de causa reali cognoscere.
- 9 Muletatus Officialis qui de tali causa cognoverat.
- 10 Id non tantum in Gallia, sed pene ubique servatur.
- 11 Tempore Philippi Valesii Prælati asseriebant, ad se omnes causas reales spectare, quibus aliquid personale erat admixtum.
- 12 Hodie omnis causa etiam personalis ad iudices laicos spectat si aliquid realitatis sit admixtum.
- 13 In causis mixtis Clerici coram laicis conveniuntur.
- 14 Contractus coram iudice Ecclesiastico factus non inducit realitatem; quia de realitate disponere nequit.
- 15 Clericus pro arreragiis redditus conveniendus coram Ecclesiastico iudice, si personaliter tantum conveniatur; secus, si jus reale controversetur.
- 16 Hac distinctio jam pridem solemnè probata.
- 17 Etiam Rector & Conservator Academia Lovaniensis eadem distinctio utuntur.
- 18 Ex contractu inito coram notario Regio Clericus coram iudice Regio convenitur.
- 19 Clerici per contractum se solent jurisdictioni laicali submittere.
- 20 Dispositio juris quâ Clericus vetatur renunciare privilegio usu sublata quoad causas civiles.
- 21 Quæstio an Clericus sit remittendus ad iudicem Ecclesiasticum, hodie spectat ad iudicem Regium.
- 22 Id ipsum supponit Edictum Principum nostrorum ad Synodum Cameracensem.
- 23 Prætentunt Pragmatici hic intervenire quæstionem facti.
- 24 Supponunt quoque omnem jurisdictionem quoad causas civiles spectare ad Principem quousque probatum sit in alios translata.
- 25 Hinc concludunt, Clericum coram laico citatum debere comparere, ut privilegium alleget.

- 26 Clericus hodie convenitur coram laico, si in alia quam Clerici qualitate conveniatur. (iudice conveniri.)
- 27 Clericus administrans bona laicorum potest coram laico
- 28 Item si sit Officiarius secularis.
- 29 Similiter ut tutor aut curator laici.
- 30 Conventus ad præstandam gardiam in causa evictionis.
- 31 Ut haeres laici potest coram seculari quoque conveniri.
- 32 Quantum diminuta jurisdictio Ecclesiastica?
- 33 In Brabantia concessum privilegium Prælati ut conveniri nequeant nisi coram supremo Principis Senatu.
- 34 Idem nonnullis Capitulis in Gallia concessum.
- 35 Hoc privilegium ad causas concernentes functiones sacras non extenditur.
- 36 Etiam hodie manet spiritus Canonum qui vetabant Clericis ad secularia tribunalia recursum.

I. Sicuti causæ civiles Laicorum ad secularia tribunalia sensim devolutæ sunt, ipsique Episcopi & Judices Ecclesiastici ab earum cognitione penè totaliter exclusi, postquam nimirum judicia Ecclesiastica ad normam judiciorum civilium institui & agi cœperunt, uti supra c. 2. monuimus; ita & causæ civiles Clericorum ad laicos iudices devolvi cœperunt, & exemptio Clericorum quoad causas has ad arctissimos limites coarctari; ipsique Clerici coram laicis tribunalibus in causis civilibus non tantum à laicis citari; sed ul: d hęc tribunalia experere, & suos creditores etiam Clericos convenire maluerunt: aded ut hodie, præsertim in Belgio, & Gallia de exemptione clericorum à laicali jurisdictione quoad causas merè civiles vix aliquid supersit: quinimò & plerasque causas Ecclesiasticas agitari coram iudicibus Regiis, titulo sequenti ostendetur; ubi unà ratio reddetur, cur Clerici plerumque ament coram Regiis Tribunalibus, quàm Ecclesiasticis suas quæstiones examinari & judicari, & quæ sit ratio, cur is recursus hodie facilius, quàm olim tolerari queat.

II. Unà ostendetur, quòd graviter ferre non debeant Episcopi, si causæ & quæstiones ad Regia & laica tribunalia transferantur, quamdiu ea, quæ nunc invaluit, forma judiciorum Ecclesiasticorum remanet; licet non immeritò dolent, quòd judicia Ecclesiastica, quæ primitus non nisi ad concordiam & pacem tendebant, nihilque de forensibus tricis habebant, tandem in iurgia forensia transferint; quin & in his laicalia judicia faciliè superent: atque ita omnis ferè ratio, quæ jam pridem moverat Prælatos Ecclesiæ, ipsosque Principes, ut Clericos coram iudicibus Ecclesiasticis convenire vellent; & laica tribunalia declinare juberent, non tantum negativè, sed & contrariè cessare videatur; quia litigando coram Ecclesiasticis amplius & diutius litium tumultibus & forensibus tricis implicari solent, quàm litigando coram tribunalibus Regiis.

III. Jurisdictionem Ecclesiasticam quoad causas Clericorum circa tempora Philippi Valesii Regis Franciæ, id est, sub initium sæculi XIV. imminuisse, notat Michaël Roussellius; & non obscurum est ex disceptatione inter Prælatos & Barones Regni Galliæ coram eodem Rege sub initio istius sæculi super materia jurisdictionis excitata.

IV. Inter articulos ex parte Baronum per Petrum Cugnetium contra Prælatos allegatos erat hic 57. "Item si laicus vocat Clericum in causa hæreditaria coram iudice seculari, ipsi iudices Ecclesiastici faciunt cessare processum, sibi cognitionem attribuentes."

V. Huic articulo nomine Prælatorum respondet Ludovicus Bertrandus Episcopus Eduensis, "quòd super actione personali vel mixta, aut super interdicto, quòd in parte personale exiterit, Clericus fuerit coram iudice seculari vocatus, non debet coram eo respondere; ubi autem actio esset merè realis, de jure deberet super hoc cujuslibet Ecclesiæ consuetudo servari, & ubi consuetudo non esset, deberet jus scriptum in talibus imitari."

VI. Ex articuli propositione, & ad illum responsione patet, quòd tum quæstio esset, quis Clericum competens esset iudex, etiam in causis mixtis & realibus; ipsumque Eduensem prætendisse, in causis mixtis, quæ aliquid perso-

nalitatis continent, solum iudicem Ecclesiasticum esse competentem; quin & in causa merè reali, si consuetudo Ecclesiæ non sit contraria: quod & conforme esse juri communi vulgò tradunt Canonistæ, quos citat Aufrerius de potestate seculari in Ecclesiasticos regula 2. fallentia 4.

VII. Verùm controversiam hanc usus finivit, ipsamque cognitionem de causis realibus iudici laico detulit, quantumvis contra Clericum agatur; nam ut ipse Aufrerius testatur ex Joanne Fabio, hodie Clericus in actione reali potest coram iudice seculari conveniri: & ita de consuetudine in Regno Galliæ servari.

VIII. Testatur quoque ibidem Aufrerius, "an. 1385. in Parlamento Parisiensi pronuntiatum fuisse arrestum, quo dictum fuit, Episcopum Cabilonensem non esse recipiendum, ad manutenendum, quòd in ejus Curia spirituali posset cognoscere de actione reali, & fuisse condemnatum ad cessandum de cætero ab impedimentis per eum super hoc factis."

"Hoc arrestum, ait Joannes Galli qu. 45. mirum videri non debet; nam si penes iudicem Ecclesiasticum notio illa remansisset, oportuisset aliquando Regem & cæteros Galliæ Procures ite litigatum Romæ pro feudis & temporalibus suis per viam appellationis, aut evocationis."

IX. Insuper ut Judices Ecclesiastici deterrerentur à capienda notione de actione reali, anno 1463. Capitulum S. Marientii fuit condemnatum in 200. libras, quia cognoverat de actione reali virtute jurisdictionis spiritualis, inquit Aufrer.

X. Nec tantum in Gallia, sed & aliis plerisque Regnis iudices laicos cognoscere de causis realibus ostendit Michaël Roussellius in Historia jurisdictionis Pontificiæ lib. 4. cap. 4. & de Belgio testatur Jodocus Damhauderus in Praxi civili cap. 53. & ibi notat Tuldenu, & praxis notoria & quotidiana consonat.

XI. Ex Responso Ludovici Bertrandi supra relato patet, Prælatos ut indubitatum tunc asseruisse, quòd Clericus in actione mixta, aut super interdicto, quòd in parte personale exiit, coram iudice seculari vocatus, non debeat coram eo respondere. Supponebant enim personale ibidem intermixtum trahere ad se reale, ipsumque iudicem laicum esse omninò incapacem, qui de personali contra Clericum quovis modo iudicare posset: contra verò iudicem Ecclesiasticum haud esse incapacem, qui de reali, quòd hinc miscetur cognoscat: ideoque sollicitè notant, quòd in parte PERSONALE est.

XII. At verò hodie contrarium planè principium invaluit, & in Regiis Parliamentis receptum & probatum est: nimirum bona temporalia esse omninò de jurisdictione seculari; ipsosque iudices Ecclesiasticos esse incapaces cognoscendi aut statuendi de realitate bonorum; aded ut abstinere debeant ab omni causa, cui realitas aliqua immixta est.

XIII. Hinc tanquam indubitatum tradunt Pragmatici, Clericum non tantum in merè realibus, sed & in mixtis, putà actione hypothecaria conveniendum esse coram iudice seculari, siue ipsius rei sitæ, quemadmodum loco citato notat Aufrerius; & pluribus relatis confirmat Roussellius dicto c. 4. n. 10. additque "Denique nullius non quæstionis ex fundo & realibus subortæ competens est nobis iudex secularis: nec Hispanis, ut tradit Alphonus Villadiego: Ecclesiasticus verò incompetens."

Hactenus Roussellius, qui ex his concludit: "Itaque si Clericus vendiderit fundum, aut si immobilia ejus sint præhendenda, non poterit forum seculare declinare."

XIV. Imò receptum esse tradit pluribus citatis Broudæus in notis ad Louëtium Lit. H. n. 15. quòd contractus & obligationes firmatæ sigillo iudicis Ecclesiastici nullam inducant hypothecam siue tacitam siue expressam: quia iudex Ecclesiasticus nullum habet jus se immiscendi iis quæ realitatem spectant. Verba ipsius sunt: Parce que la jurisdiction Ecclesiastique n'a aucun droit de s'entremettre en ce qui est de la realité comme est l'hypothèque. Id est: Eò quòd Jurisdictioni Ecclesiasticæ nullum jus competat, ut se immisceat iis, quæ realitatem spectant, quale est Hypotheca.

XV. Ex hoc principio nonnulli concludere, quòd Clericus

ratione canonum, seu *arreragiorum*, ut ajunt, alicujus redditus realis sive fundarii non nisi coram iudice laico conveniri posset; eò, quòd huic obligationi *realitas* causam dederit; sive quòd obligatio canonum ex obligatione *reali* profluxerit.

Verùm si de solis annuis canonibus agitur, ratione quorum obligatio duntaxat personalis habetur, neque ipsum jus redditus sive *reale* controversatur, non apparet, cur de hac obligatione *merè personali* iudex Ecclesiasticus competens non sit; secus vero, si ipsum *ius reale* in controversiam veniat.

Hac distinctione jam pridem usus est Aufrerius, dicens; pro *arreragiis* census annui conveniri posse Clericos coram iudice *sæculari*, "quando medium concludendi est *reale*; ut quia petitur ratione *præditorum* censualem: quia tunc magis videntur conveniri *prædia*, quàm personæ, scilicet possessores *prædiorum*. Si autem medium concludendi sit *personale*; ut quia *arreragia* petuntur ex stipulatione vel obligatione *personali*, tunc secus esset dicendum."

XVI. Hæc distinctio fundata apparet in famoso & solemnissimo arresto prolato an. 1271. contra plures Episcopos eorumque Officiales, quo ipsis interdicitur, cognoscere de actionibus *realibus*, & de redditibus annualibus *affidatis* seu *debitis* & *petitis* super *hæreditagiis*, supposito, quòd partes *consensum* aut *onus reale* se debere *minimè* confiteantur." Arrestum refertur apud Choppinum De Sacr. Polit. l. 2. t. 1. n. 6.

Distinctionem hanc rationi consonam esse fatetur etiam Carolus Fevretius De Abusu lib. 4. cap. 11. num. 11. insignis aliàs jurisdictionis Regiæ Patronus.

XVII. Hæc distinctio occurrit quoque in concordia inter Maximilian. & Philippum, & Universitatem nostram Lovaniensem, inita super exercitio jurisdictionis Rectoribus & Conservatoribus, confirmata per Carolum V. Imper. ubi permittitur, ut Rector & Conservator cognoscant de materiis *personalibus*, non *realibus* aut *mixtis* bona immobilia tangentibus; permittiturque, ut si *personaliter* agatur de *reditibus*, possit incidenter de titulo cognoscere, ne continentia causæ dividatur; ut tamen non cognoscat de *realitate*, aut *validitate* contractus. Verba sunt: *Que lesdicts Recteur & Conservateur pourront pendre & avoir la cognoissance des matieres personnelles, non reeles & mixtes, si avant qu'il touche biens immeubles. Pourveu que si les parties, que viendront en justice pardevant eux, en la deduction desdicts actions personnelles, se veulent ayder d' aucun titre & en vertu d' iceluy justifier la constitution de la rente ou autre chose, dont en action personnelle question seroit menee pardevant eux, iceux Recteur & Conservateur pour eviter que la contenance de la cause ne soit divisé, pourront incidemment prendre connoissance audit titre, sans toute fois autrement eux entremettre d' aucune realité, & sans aussi eux entremettre ou prendre connoissance sur la validité dudit titre au cas que question s'en meut pardevant eux.* Id est: Quod dicti Rector & Conservator cognoscere poterunt de causis *personalibus*, non *realibus* & *mixtis*, quatenus concernunt bona immobilia. Si modò partes, quæ coram ipsis in iudicio se sistunt, in deductione actionum *personalium* titulo quodam tueri se velint, & in vim illius probare creationem redditus, aut quid aliud, de quo per actionem *personalem* coram ipsis mota fuerit quæstio: dicto Rectori & Conservatori, ut evitetur continentia causæ divisio, incidenter de dicto titulo cognoscere licebit, ita tamen, ut nullatenus *realitati* se immisceant, aut de *validitate* dicti tituli cognoscant, si coram ipsis quæstio de *super* moveretur.

XVIII. Si tamen contractus *initi* & *roborati* sint sigillo Regio, vi hujus contractus Clericos hodie actione *personali* conveniri coram iudice *sæculari*, notat ibidem Fevretius. Cui consonat articulus modificationis jam pridem *in*seri solitus *verificationi* Legatorum Sedis Apostolicæ: "De contractibus, inter quascunque personas sive Ecclesiasticas sive laicas *initis* qui obligationes *personales* continebant, si à Notariis, Regiis publicâ auctoritate recepti fuerint, ipse Legatus non cognoscat." Vide modificationes has relatas supra parte 1. tit. 21. cap. 3. num. 81.

XIX. Accedit, quòd dum contractus *etiam* *intet* Clericos, aut Clericum & Laicum coram Notariis Regiis *intentur* & *conficiuntur*, soleat illis *in*seri clausula, quâ *contrahentes* pro *impletione* dictorum contractuum & obligationum se *sub*ji-ciunt *voluntariè* ipsis Regiis & aliis ordinariis iudicibus, *vi*gore ejus *sub*missionis *conveniri* possunt coram iudice Regio & *sæculari* pro *ad*impletione contractus. Fevretius ibidem cap. 6. num. 10. & cap. 10. num. 8. ubi citat ordinationem Philippi II. Regis Catholici, quâ declarat, contractus *confectos* sub sigillo Regio cum *sub*missione esse *attributivos* jurisdictionis.

XX. Quod enim jure communi cautum est, Clericum non posse renuntiare privilegio fori, se *sub*ji-ciendo jurisdictioni *laicali*, id quoad causas *civiles* in *desuetudinem* abiit, uti passim testantur Pragmatici: Unde Mornacius ad L. 4. ff. De Pactis *discussâ* hac quæstione in utramque partem, demùm adjungit: "Tandem *itum* est ab omnibus in eam *sententiam*; ut si de crimine agatur, renuntiare non possit Clericus Cleri privilegio; cum *dedecus* inde *inferatur* ordini, in *cujus* gratiam privilegium *inductum* est: in *civili* autem negotio *secus*."

XXI. Si quæstio sit, an citatus sit Clericus, vel in hac causa gaudere debeat privilegio fori, & ad iudicem Ecclesiasticum sit *remittendus*, inspecto jure communi in Cap. 12. De *sententia excommunicat.* in VI. cognitio ad iudicem Ecclesiasticum *spectat*: at hic rursus usus tandem iudicibus Regiis *favit*: nam ubique *penè* usu *invaluit*, ut hujus quæstionis *decisio* ad iudicem *sæcularem* pertineat.

De Gallia testatur & ipse Covarruvias *Pract.* qq. c. 33. n. 1. ubi postquam ostendit, de jure quæstionem hanc ad iudicem Ecclesiasticum *spectare*, ait: "Apud Gallos hujus *controversiæ* cognitio ad *sæcularem* iudicem *pertinet*, ab eoque *tractatur* & *expeditur*, non *admissa* nec *recepta* constitutione Bonifacii VIII. in *dicto* cap. 12."

Et Grivellius *Decisione Dolana* 30. ait: Ut apud iudicem *sæcularem* *spectet* cognoscere, an *remittendus* sit reus ad forum Ecclesiasticum vel non, id apud nos in *praxi* servatur."

XXII. Id ipsum supponit Edictum Philippi II. ad Synodum Cameracensem art. 17. mandans, ut si aliquæ personæ *conquerantur* apud *tribunalia* Regia, se *malè* citatos esse coram *tribunali* Ecclesiastico, ipsa *Concilia* Regia, antequam quidquam *decernant*, prius *petant* de causa per iudicem Ecclesiasticum *informari*, ut *informatione* habitâ *judicent*, an causa ad iudicem Ecclesiasticum *spectet*. Verba Edicti sunt: *Et quand lesdicts Juges Ecclesiastiques auront cité quelques personnes qui se pretendent exemptes de leur Jurisdiction. Nous ordonnons à nos Consaux, & Sieges Provinciaux que leur en estant faite plainte, auparavant decerner quelque provision de saisissement, ou cassation, ils ayent à écrire audit Juge Ecclesiastique, à fin d' advertir que c' est du proses, de quelle matiere il y a question & sur quoy le demandeur fonde la connoissance du Juge Ecclesiastique. Et s' il luy semble la matiere disposee, pour submettre ledict lay à sa Jurisdiction, & par quelle raison, pour la rescription venue, & examinée en Conseil, si les raisons sont trouvées insuffisantes, requirir ledict Juge Ecclesiastique iterativement de se deporter de ladiete connoissance. A peine d' y pourveoir par les remedes accoutumés, comme en cas de defaut ils feront. Tenant pendant ceste communication toutes procedures en surceance.* Id est: Et cum dicti *Judices* Ecclesiastici aliquos in *ius* vocaverint, qui se ab illorum *jurisdictione* *exemptos* esse contentent. Mandamus *Conciliis* nostris, & *Provinciarum* *Tribunali*bus, ut *querelis* apud eos *depositis*, antequam bonorum *occupationem* aut *rescissionem* *decernant*, prius dicto *Judici* Ecclesiastico *scribant*, ut de *statu* litis *edoceantur*, de qua *materia* sit orta *controversia*, quo *fundamento* ad *cognitionem* *Judicis* Ecclesiastici *recurrat*: & utrum ipsi videatur *materia* *disposita*, ut dictum *Laicum* *jurisdictioni* suæ *sub*ji-ciat, & qua de *causa*, ut *visâ* *rescriptione*, & in *Concilio* *expensâ*, si *infundatæ* *deprehendantur* *rationes*, iteratò dictus *Judex* Ecclesiasticus *moneatur*, ut à dictæ *causæ* *cognitione* *abstineat*, se aliàs in *pœnam* *ordinariis* *mediis*

mediis provisuros, prout & in casum defectus facient Omni interim processit suspenso, dum hæc communicatio fiet.

XXIII. Fundamentum hujus praxeos apparet, quod in hac quæstione aliquid temporale sive non spirituale intervenire credant; nec de jure sed de facto quæstionem esse. Hoc autem factum nihil spiritualitatis habere dicunt. Unde Aufrerius in Repetitione Clem. 1. de Officio Ord. regulà 4. fallentiâ 8. dicit, quod regula, quæ dicitur, Judicem sæcularem de causis Ecclesiasticis non cognoscere, "fallat generaliter, ubi de quæstione Ecclesiastica versatur sola quæstio facti: Nam tunc Judex sæcularis est competens." Deinde in exemplum, subjicit, si disputetur, utrum mulier fuerit desponsata vel non, vel an habitus sit Clericalis, an non; an quis sit legitimus vel non, an sit usurarius vel non. quia non est quæstio juris, sed facti. Et idem in similibus.

XXIV. Ad hæc supponunt judices Regii, omnem jurisdictionem contentiosam primariò, & originaliter residere & esse penes Principem: nec nisi ab illo ad inferiores sive laicos, sive Ecclesiasticos, præsertim quoad negotia civilia dimanare: atq; hinc concludunt, omnes coram Principe ejusve Magistratu conveniendos, quousque ostensum sit, ipsos aliquo speciali titulo alteri jurisdictioni esse subjectos.

XXV. Hinc ulterius invaluit teste Joanne Gallo q. 353, quod Clericus citatus coram judice sæculari debeat comparere, & suum privilegium sive exceptionem declinatoriam allegare, & petere, ut remittatur ad judicem Ecclesiasticum, aliàs ut contumax condemnandus.

XXVI. Sicuti Clerici conveniuntur hodie coram judice sæculari, si causa rem potius quam personam respiciat: eò quod non tam Clericus, quam res ipsa temporalis & profana conveniri videatur; ita dum Clerici se officiis aut negotiis sæcularibus immiscunt, aut præficiuntur, atque sub ea qualitate conveniuntur, quæstio non coram judice Ecclesiastico, sed sæculari agitanda est; quia non tanquam Clerici, sed tanquam sæculares conveniri censendi sunt.

XXVII. Itaq; si Clericus administrationem rerum profanarum ad laicas personas spectantium suscepit, non poterit judicem sæcularem declinare, si de ipsa administratione agatur; hancque esse omnium Parliamentorum praxim testis est Lucius lib. 2. Placitorum. tit. 2. c. 15, dicitque, "Sacerdotem sacrisq; initiatum, qui rebus prophanis se immiscuerit, si ad prophanum judicem iis de rebus vocetur, ire debere, neque fori præscriptione se tueri posse, quod & permultis Curia auctoritatibus comprobatum est."

xxxviii. Pariter trahi Potest Clericus in actione personali coram Judice sæculari, ubi tanquam Officiarius sæcularis teneretur; ut qui fortè depositum pecuniarum vel aliarum rerum suscepit auctoritate judicis sæcularis: ut notat Guilelmus Benedicti ad Cap. RAINUTIUS verbo Et uxor. n. 419.

xxix. Addit idem auctor, qui à 200. & amplius annis scripsit: Et idem servatur in hoc Regno (Franciæ) ubicunq; Clericus aut persona Ecclesiastica officium tutelæ vel curæ, aut aliud quodcunq; sæculare gessissent, qui coguntur de administratis reddere rationem coram judice sæculari.

xxx. Eadem ratione si Clericus venditor alicujus fundi vocetur ab emptore ad garandiam ut ajunt, sive ad præstandam evictionem, non poterit declinare tribunal sæculare, coram quo causa evictionis tractatur; quia in hoc casu Clericus coram judice laico litigat, non per se, sed tanquam actor & procurator emptoris laici, uti loquitur Glossa in L. VENDITOR ff. de Judiciis. Et ita servari in Curiis jam pridem annotavit Guilelmus Benedicti loco citato num. 417, ubi & in n. 416, observat, in causa reconventionis Clericum quoque excipere non posse à judice, coram quo ipse alium convenit; idque in praxi esse receptum, licet de jure non una sit de hisce quæstionibus Canonistarum opinio, Vide Plura apud Carolum Fevretium De Abusu lib. 4. c. 10.

xxxI. Similiter quæstio inter Canonistas disputata, num Clericus hæres laici, conventus in qualitate hæredis queat declinare forum laici, cui defunctus suberat, hodie cessat; receptumq; est Clericum respondere debere coram judice defuncti, nec forum ex persona hæredis mutari: uti pluri-

Van Espen Jur. Eccl. P. III.

bus citatis ostendit Fevretius de Abusu lib. 4. cap. 10. n. 8.

xxxii. Ex his aliisq; quæ ex praxi hodierna, & Parliamentorum arrestis referuntur à Pragmaticis, quæq; quotidie observari videmus, sat evincitur, exemptionem Clericorum à jurisdictione & foro sæculari in causis civilibus sive profanis ad angustos admodum limites esse redactam; rarissimosq; esse casus, quibus clerici judicium sæculare in hujusmodi causis declinare efficaciter queant; præsertim cum & ipsi judices Regii contendant sibi auctoritatem privativè competere judicandi, an causa ad judicem Ecclesiasticum remittenda sit, vel non.

xxxiii. Porro ne Ecclesiastici præcipuè in dignitate constituti, ratione similibus actionum coram quibuscunq; minoribus Magistratibus, non sine dignitatis suæ dedecore, & incommodi inveniantur, speciali indultum est privilegio, Prælati, qui de Statibus existunt, ut non alium judicem agnoscat quam ipsum Principem: ad quod Privilegium alludunt Concordata inter Episcopum Leodientem & Carolum V. dum dicunt tit. 3. art. 7. "Abbatibus, Abbatissæ, & alii de Statibus Brabantia existentes juri stabunt activè & passivè coram judicibus illis, coram quibus de antiqua consuetudine stare juri consueverunt: scilicet (ait Zypæus de Foro comp. num. 2.) coram Duce seu ejus Concilio Brabantia, quod in hoc Ducatu est supremus Senatus.

Dein ibidem adjungit Zypæus, "Prout passim praxis introducta, ut Prælati ac Collegia Ecclesiastica coram Principum Conciliis conveniuntur, & alios eò trahant."

xxxiv. Refert quoque Choppinus de S. P. lib. 2. tit. 2. n. 5. privilegium plerisque Canoniarum Collegiis competere, ut nimirum alium judicem sæcularem præter Senatum Regium agnoscere non debeant; recitatq; in hanc rem diploma Caroli 7. Regis Franciæ de an. 1440. datum Cathedrali Pictonum templo in hæc Verba: "Ut Canonici ipsius Ecclesiæ, tam conjunctim quam divisim nullatenus teneantur litigare coram aliquo judice sæculari Regni nostri, præterquam in Curia Parlamenti, nisi eis placuerit, respectu omnium causarum suarum tam agendo quam defendendo, tangendo corpus & foundationem dictæ Ecclesiæ & ubi dicti de capitulo erunt pars. Nostra tamen est intentio quod eorum homines ac subditi, & alia membra in hoc, quod aliquo modo non tanget jura seu foundationem ipsius Ecclesiæ, respondere tenebuntur in casu ressorti coram illo Bailivorum aut Seneschalorum nostrorum, in cujus Ballivia seu Seneschalia commorabuntur.

xxxv. Hoc tamen privilegium Abbatum & Prælatorum intelligendum est de actionibus civilibus sive profanis, non autem de sacris, & ad spirituale eorum regimen spectantibus Nam uti rectè ibidem notavit Zypæus n. 4. "Abbatibus Brabantia, quod sacra sui status aut regiminis; nunquam spectaverunt ad dictum Concilium (Brabantia) sed tantum quoad debita & actiones Civiles."

xxxvi. Interim hæc tenent dicta & notoria praxis evincunt nec diffiteri possumus, Clericos juxta modernum usum, & praxim ubiq; penè receptam in causis civilibus coram judicibus sæcularibus conveniri posse, neq; Clericos, ut coram illis litigent, hodie indigere consensu Episcopi; quemadmodum sacri Canones olim requirebant. Nihilominus illud immutatum & immobile manet, Clericos debere, quantum possibile est, lites fugere; semperque ita agere, ut verificari queat in ipsis, ut ad metum Apostoli sint non litigiosi.

Ulterius hoc negari nequit, quin & hodie ratio Canonum vetantium Clericos in forensi judicio litigare, immota permaneat; licet externa disciplina in ipsis expressa suum amiserit vigorem. Quid enim aliud per dictos Canones intenditur, nisi Clericos litibus & forensibus jurgiis eximere, eosque inducere, quin & astringere, ut quæstiones suas potius Episcopo, aut aliis Viris prudentibus & intelligentibus amicabiliter sine strepitu forensi decidendas committerent; An non & hodie Clerici tenentur, quantum possibile est, lites fugere, & à forensibus jurgiis se liberare; omni que affectu, & studio desiderare & conari, ut quæstiones amicè terminentur: summoque cordis affectu quotidie dicere cum Ecclesia: Extingue flammam litium,

TITULUS II.

De Causis Ecclesiasticis.

CAPUT I.

De Causis Spiritualibus, præsertim Matrimonialibus.

- 1 *Causa aliæ merè Ecclesiastica, aliæ non merè.*
- 2 *In hac generalitate interdum in jure accipiuntur.*
- 3 *Canones interdicientes laicis omnem de causis Ecclesiasticis cognitionem, præcipuè loquuntur de merè Ecclesiasticis.*
- 4 *Causa Sacramentorum tanquam merè Ecclesiastica spectant de jure ad forum Ecclesiasticum.*
- 5 *Etiã hodie ad illud spectant in Gallia.*
- 6 *in Gallia per Parliamentorum Arresta causa merè Ecclesiastica ad judicem Ecclesiasticum remittuntur.*
- 7 *Inhibitum Judicibus Regiis cognoscere de causis spiritualibus.*
- 8 *Id ipsum & in Belgio obtinet.*
- 9 *Ad judicem Ecclesiasticum spectat cognoscere de capacitate & qualitatibus requisitis ad administrationem aut susceptionem Sacramentorum.*
- 10 *Inter quæstiones merè Ecclesiasticas hodie ferè sola sunt cause Matrimoniales quæ coram judice Ecclesiastico agitantur.*
- 11 *Causa matrimonialis etiã hodie coram solo judice Ecclesiastico agitari potest.*
- 12 *Et si coram judice seculari tantum incidenter mota esset.*
- 13 *Id ipsum obtinet in Belgio vigore Concordatorum inter Episcopum Leodiensem & Carolum V.*
- 14 *Quid si quis calumniosè exceptionem de valore Matrimonii coram judice seculari incidenter proposuerit?*
- 15 *Cause Matrimoniales aliquando ad Synodos spectasse creduntur.*
- 16 *Postmodum ad ipsos Episcopos exclusis inferioribus judicibus.*
- 17 *Hanc disciplinam innovavit Synodus Trid.*
- 18 *An hodie Abbates possint cognoscere de causis Matrimonialibus.*
- 19 *Consuetudo nò sit immemorialis, inferioribus cognitionem harum causarum tribuere nequit.*
- 20 *Conservatores Privilegiorum cognoscere nequeunt.*
- 21 *Ex stylo Curie R. causa Matrimoniales etiã in secunda instantia solis Episcopis committi solent.*
- 22 *Causa Matrimonialis coram judice seculari tractari potest, si sit tantum quæstio facti, an sit initum Matrimonium.*
- 23 *Item si non agatur de validitate aut invaliditate Matrimonii inter ipsos contrahentes.*
- 24 *Causa Natalium profluens ex jure Matrimonii spectat ad solum judicem Ecclesiasticum.*
- 25 *Secus si tantum agatur de quæstione facti, an sit natus ex Matrimonio.*
- 26 *Judex Ecclesiasticus in Gallia nec incidenter de quæstione facti aut profana cognoscere potest.*
- 27 *Nec potest adjudicare alimenta aut pecuniam pro sumptibus litis pendente causâ Matrimoniali.*
- 28 *Nec accessoriè hodie cognoscere potest de dote.*
- 29 *In Belgio liberalius agitur cum judice Ecclesiastico.*
- 30 *De aliis causis Ecclesiasticis puta Beneficiorum, decimarum; &c. hodie vix agitur coram judice Ecclesiastico; & quare?*

I. **C**Ausas Ecclesiasticas communiter dividunt Canonistæ in Ecclesiasticas meras & non meras. Meras vocant, quæ sunt tales ex natura sua, independen-

ter ab omni positiva constitutione aut consuetudine. Non meras, quæ quamvis sint ex natura sua temporales & profanæ, justis tamen de causis reservatæ sunt Ecclesiasticis Judicibus.

II. Hac generali significatione causæ Ecclesiasticæ accipiuntur in *Cap. 4. de Immunit. Eccles. in VI. in verbis*, „per causis Ecclesiasticis, sive quæ ad forum Ecclesiasticum, ratione personarum, negotiorum, vel rerum de jure vel antiqua consuetudine pertinere noscuntur.

III. Causæ merè Ecclesiasticæ, sive quæ tales ex natura sua reputantur: sunt exempli gratiâ causæ Sacramentorum, & similes, quæ nihil temporalis annexum habent; sed omnino spirituales & Ecclesiasticæ sunt; atque de his præcipuè intelligendi sunt Canones, interdicientes laicis omnem cognitionem de causis Ecclesiasticis; aded quidem, ut Concilium Lateranense sub Innocentio III. „generaliter prohibuerit, ne super rebus *spiritualibus* compromittatur in laicum: quia non decet: ut laicus in talibus arbitretur.” *Cap. 8. De arbitris.*

IV. Hinc unanimi consensu receptum est, causas Sacramentorum esse merè Ecclesiasticas, easque quantum ad substantiam eorum, ad judicem Ecclesiasticum privativè spectare: nihilque circa eorum validitatem vel invaliditatem judicem sæcularem posse decernere: eò quòd hæ ex natura sua sint merè spirituales.

V. Quapropter licet sensim in Gallia & etiam in his Provinciis causæ plures, quæ inspecto jure communi erant Ecclesiasticæ cognitionis, devolutæ sint ad judices laicos, sive tribunalia Regia; nihilominus causæ Sacramentorum & similes merè spirituales reservatæ manserunt judicibus Ecclesiasticis etiam per ipsas Principum Ordinationes, & Parliamentorum arresta.

In. Edicto Francisci I. Regis Franciæ de anno 1539. quo vetantur citari laici in causis merè personalibus coram judice Ecclesiastico (de quo titulo præcedenti c. 4.) expressè additur clausula reservans cognitionem de causis Sacramentalibus, aliisque spiritualibus judici Ecclesiastico. *Sans prejudice toutefois de la jurisdiction Ecclesiastique es matieres de Sacremens & autres pures spirituelles Ecclesiastiques, dont ils pourront cognoitre contre lesdits lais selon la forme de droit.* Id est: Absque detrimento nihilominus Jurisdictionis Ecclesiasticæ in materia Sacramentorum & aliis merè spiritualibus Ecclesiasticis, de quibus contradictos Laicos juxta formam juris poterunt cognoscere.

VI. Rursus Regio Edicto anno 1610. injunctum fuit judicibus Regiis, ut permittant judici Ecclesiastico causas ad forum Ecclesiasticum spectantes, ac nominatim causas concernentes Sacramenta, & cæteras merè spirituales, prout referuntur in Actis Cleri Gallicani *Tom. 1. parte 1. tit. 2. cap. 9. urt. 8. in verbis: Il enjoint aux cours de Parlement de laisser à la jurisdiction Ecclesiastique les causes qui sont de leur connoissance; même celles qui concernent les Sacramens & autres causes spirituelles & purement Ecclesiastiques, sans les attirer à eux sous pretexte de possessoire, ou pour quelque autre occasion que ce soit.* Id est: Injungit Supremorum Senatuum Curii, ut Jurisdictioni Ecclesiasticæ subjectas sinant causas, quarum ad eos spectat cognitio; quinimò eas, quæ Sacramenta aliasque causas spirituales & merè Ecclesiasticas concernunt, nec causas illas titulo possessorii aut aliâ demum quacunque occasione ad se traducunt.

VII. Id ipsum sæpius postmodum Regiis Edictis renovatum fuisse ibidem refertur; additurque *art. 12. per arrestum*

Forum Concilii privati 28. Augusti 1637. inhiberetur fuisse omnibus supremis Curis ceterisque iudicibus Regiis, cognoscere de causis merè spiritualibus & Ecclesiasticis.

Citantur ibidem *art. 11. & 13.* arrepta, quibus causæ super doctrina ad Episcopum tanquam iudicem Ordinarium remissæ fuere.

VIII. Similia in Principum nostrorum edictis passim occurrunt, dicitq; Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico *Cap. 84. §. 8.* "Etenim Principes nostri religiosè suis Constitutionibus vetuerunt, ne quis in causis Politiam Ecclesiasticam tangentibus, aut in morum correctoriis, recurrat ad iudicem sæcularem, aut per appellationem procuret aliquam supercessionem seu suspensionem aut clausulas inhibitivas."

IX. Hoc fundamento imprimis ad Episcopum & iudicem Ecclesiasticum spectant causæ, in quibus de ipsis Sacramentis agitur, puta de capacitate & approbatione requisita in ministris Sacramentorum, ipsorum examine, admissione, &c. quæ etiam hodie privatè ad Episcopum sive iudicem Ecclesiasticum spectant, tanquam causæ merè spirituales & Ecclesiasticæ. Vide supra *parte 2. tit. 26. c. 1.*

X. Verùm super valore vel nullitate Sacramentorum nullæ hodie ad forum contentiosum quæstiones deferri solent, nisi super matrimonio; ideoque solæ causæ matrimoniales ferè sunt inter causas civiles, circa quas hodie iurisdictio Ecclesiastica versatur, & ratione quarum laici ad forum Ecclesiasticum citari solent.

XI. Et sanè si quæstio vertatur de validitate ipsius Matrimonii, solus iudex Ecclesiasticus est competens; ipseque solus de hac quæstione cognoscere potest; idque sive jus commune, sive consuetudinarium spectemus, quemadmodum post alios Pragmaticos notat Carolus Fevretius de *Abusu lib. 5. cap. 5.*

XII. Imò quæstio de validitate Matrimonii in tantum est fori Ecclesiastici, ut si mota quæstione de jure hæreditatis incidat quæstio de jure connubiorum, "puta de præcedenti nuptialium sacrorum impedimento, vel si quâ aliâ ratione canonicâ convellatur jus statusque matrimonii de eo sacrum est tribunal ad eundem non civilis Magistratus;" inquit Renatus Choppinus, De Sacra Polit. *lib. 2. tit. 1. n. 16.* additque: "Sive inciderit, seu principaliter mota sit connubialis controversia. Idque à Neapolitano Senatu disceptatum refert consultissimus ejusdem Ordinis senator Matthæus Decis *Neapolit. 219.*"

XIII. Conformia sunt Concordata inter Episcopum Leodiensem & Carolum V. 11. Jan. 1543. lecta & publicata in Camera Concilii Brabantia januis apertis, & acceptata ab Episcopo Cameracensi, sub quo & Episcopo Leodienti ante novos erectos in Belgio Episcopatus, tota Brabantia fuit; ita ut meritò hæc Concordata pro lege in Brabantia habeantur. In his itaque Concordatis *tit. 2. art. 1.* decernitur: "Quoad fœdus Matrimoniorum ... solius iudicis Ecclesiastici erit cognoscere, etiamsi quæstio fœderis Matrimonialis inciderit coram iudice sæculari, quo casu iudex sæcularis supercedere tenebitur, & hunc articulum (tanquam spiritualem) ad iudicem Ecclesiasticum, per eum infra anni spatium terminandum, remittere."

XIV. Addit dein *art. 2.* "Sed si quis dictam allegationem incidentis quæstionis calumniosè proposuisse reperitur, condemnabitur in multam iudicis arbitrio constituendam, alioquin termino effluxo, iudex sæcularis in causa coram eo intentata, poterit procedere, perinde ac si huiusmodi articulus coram eo non incidisset, vel propositus fuisset."

XV. Causas Matrimoniales olim in Conciliis Episcoporum decisas fuisse innuitur apud Gratianum *Caus. 35. q. 6. Can. 10.* ubi Alexander II. scribit cuidam Guilelmo, ne propriam uxorem prætextu consanguinitatis præsumat dimittere, & aliam ducere, donec Episcoporum Religiosorum Concilium causam istam examinaverit.

XVI. Verùm Glossa ad Canonem 1. *caus. 33. q. 2.* monet quòd si olim id obtinuerit, postmodum tamen ad Episcopum Van Espen *Jur. Escl. P. III.*

pos singulos causæ Matrimoniales, exclusis inferioribus devolutæ sint. Verba Glossæ sunt: "Sed rectè & hodie ad Episcopalem iurisditionem cognitio Matrimonialis causæ spectat. Unde nec Abbates nec alii cognoscere possunt de matrimonio, nisi ex concessione vel alia causa legitima id habeant."

XVII. Hanc disciplinam renovavit Synodus Tridentina *Seff. 24. c. 20. De Reformat.* decernens: "Ad hæc causæ Matrimoniales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini & iurisditioni relinquuntur."

XVIII. Decretum Concilii Tridentini etiam à cognitione causarum Matrimonialium excludere Abbates quantumvis exemptos, decisum fuisse in Rota Romana refert Barbosa in *Collectaneis ad hoc caput Concilii Tridentini n. 56.* idque donec per tres sententias conformes, vel unam, quæ transivit in rem iudicatam, constiterit, Abbatiam, ac loca illi subjecta, seu ab ea dependentia, nullius esse Diœcesis; & consequenter constet, quòd Abbas in loca illa habeat iurisditionem quasi Episcopalem. Hanc eandem distinctionem quoad Abbates circa cognitionem harum causarum notavit Fevretius de *Abusu lib. 5. cap. 5. num. 6.*

XIX. Notat insuper Barbosa de Potestate Episcopi *parte 3. Allegat. 84. n. 5.* quòd Synodus sustulerit possessionem quadragenariam cum titulo seu privilegio, solamque immemorabilem non excludere, & donec de illa constiterit per tres conformes sententias, non inferiorem Episcopo, sed ipsum Episcopum huiusmodi causas cognoscere debere."

Huic resolutioni conformis est resolutio Cardinalium data Episcopo Antverpiensi, declarans, ad Episcopum spectare facultatem cognoscendi de causis Matrimonialibus, nisi Capitulum immemorabilem consuetudinem haberet; sed donec eam per tres sententias probaverit, Episcopus ea utatur. Extat apud Zypæum de Officio Ordinarii *num. 20.*

XX. Cùm Synodus generaliter causas matrimoniales iudicum inferiorum iudicio subtrahat, & Episcopi tantum iurisditioni relinqui mander, non videtur privilegiorum conservatorum iurisdictio ad has causas extendenda; notatque Fevretius loco citato *num. 8.* ex Choppino, quòd ex Ordinatione Ludovici XII. anni 1498. "Vetitur sit Conservatoribus, ne de fœdere connubiali, de divortiis, aut de Ecclesiastica Sacramentorum administratione cognoscant."

XXI. Quamvis Decretum Synodi Tridentina tantum videatur loqui de cognitione in prima instantia; nec appareat vi huius Decreti vetitum, delegari causas Matrimoniales in secunda instantia iudicibus inferioribus; nihilominus stylus Curia jam pridem usitatus fuit, ut causæ matrimoniales non soleant aliis quàm Episcopis à Sede Apostolica committi; uti testatur Covarruvias de Matrimonio *parte 2. cap. 8. §. 12 num. 1.* & Barbosa in *Collectaneis ad præsens caput Concilii Trid. num. 59.*

XXII. Quod de incidente quæstione Matrimoniali remittenda ad iudicem Ecclesiasticum dictum fuit, intelligi oportet de casu, quo de validitate Matrimonii agitur, ut est casus in *Cap. 1. De Ordine cognitionis;* secus verò ubi non de jure, sed de facto quæstio incideret; puta si non quæretur, an Matrimonium sit validum; sed an reverà de facto ullum matrimonium fuerit initum. "Si enim in petitionem hæreditatis incidat mera facti quæstio, contractumne sit, nec ne conjugium, eo casu legitima erit Regii Prætoris cognitio," ait Choppinus de S. Polit. *lib. 2. tit. 1. num. 6.* & ita in Parliamentis constanter servari monet Fevretius de *Abusu lib. 5. cap. 5. num. 18.*

XXIII. Afferit ibidem Fevretius *num. 19.* quòd si mota quæstione super causa matrimoniali intercedat tertia persona allegans vim, seductionem, aliudve factum intervenisse, Iudex Ecclesiasticus quæstionis huius competens non sit; & ita aliquando iudicatum fuerit, conformiter ad ea, quæ tradit Imbertus in suo Manuali in quæstione intitulatâ, *Matrimonii causa:* "Matrimonii quæstio &

„controversia, licet quantum ad eos, inter quos contractum asseveratur matrimonium, sit coram Pontificio iudice tractanda: tamen si pater aut mater simul cum filia apud Pontificium forum conveniantur, ut quam de futuro matrimonio emiserint promissionem, impleant, poterunt illi parentes fori jurisdictionem declinare, vel etiam ab ipsius citationis decreto tanquam ab abusu, provocare ad supremam Parlamenti Curiam,”

Rationem addit, dicens, „in Regno (Franciae) receptum fuisse, quia de jure Franciae speciali laici sunt à Pontificia jurisdictione soluti ac emancipati; nisi in casibus specialiter permittis.” Et Annæus Robertus lib. 3. Rerum jud. cap. 5. asserit, „de jure Franciae obtinere, ut de iis tantum cognoscere possit Judex Ecclesiasticus, quæ spiritualia sunt, aut ad Sacramenta pertineant,”

XXIV. Quia causa natalium, sive an quis sit legitimus, pendere solet à jure & validitate matrimonii, causam hanc esse fori Ecclesiastici tanquam spiritualem, uno consensu tradunt Canonistæ ad Cap. 7. §. Qui filii sint legitimi atque ut talem agnoscunt allegata concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem: voluntque, ut si quæstio legitimitatis aut illegitimitatis coram iudice sæculari incidat, eodem modo ac quæstio fœderis Matrimonialis ad Judicem Ecclesiasticum remittatur.

XXV. Ex ipso contextu Concordatorum sat manifestum est quod remissio hæc intelligenda sit de casu, quo de jure agitur, non autem de facto; puta si controversetur, an quis sit legitimus ob defectum sive non valorem matrimonii; secus verò si tantum quæretur, num hic reverà sit filius sive natus ex tali matre aut patre, quemadmodum notavit Cævallis tract. de cognit. per viam violentia qu. 96. dicens: „Resolutivè tenendum est, iudicem laicum posse cognoscere, an sit filius natus in figura Matrimonii, an non: quia est quæstio facti, incidens principali motu super petitione hæreditatis.”

Quod & ipsa concordata tit. 1. art. 6. expresserunt, caventia, quod non potest iudex Ecclesiasticus cognoscere de filiatione, cum est quæstio inter laicos de mero facto, an talis scilicet sit filius vel non.

XXVI. Quin quæstio profana & facti accessorie cum ipsa quæstione juris coram Iudice Ecclesiastico ex usu Regni Galliae tractari potest. Puta si iudex Ecclesiasticus pronuntiaverit in causa Matrimonii aut sponsalium, non poterit tamen pronuntiare super damnis & interesse resultantibus ex non adimpletis sponsalibus; quemadmodum observat Joannes Torneus in collectione arrestorum litt. A. n. 116. citatque Fevretius loco citato n. 14. arrestum de anno 1689. quo declaratum fuit, abusivè processum per Officialem Carnotensem, qui pronuntiatione facta super cessatione sponsalium, condemnaverat patrem desponsæ, qui sponsalibus consenserat, ad expensas, damna & interesse.

XXVII. Similiter si contingeret pendente quæstione super validitate matrimonii, uxorem petere summam pecuniæ pro alimentatione, & sustinendis expensis litis, abusum futurum pronuntiant Pragmatici Galli, si Officialis super his pronuntiet quemadmodum pluribus citatis testatur Fevretius num. 13.

XXVIII. Monet quoque ibidem Fevretius, quod in Gallia solet Ecclesiasticus iudex judicare accessorie de dote, alimentis, aliisque similibus; sed eodem Fevretio teste, hæc doctrina tandem rejecta est, interdictumque Officialibus de his, tanquam de rebus meri facti cognoscere, quod & generaliter observari ait Ce qui s'observe par tout pour le present, en telle sorte que la citation IN CASU DOTIS ET ALIMENTORUM decerné par l'Official seroit cassé comme abusive. Id est: Quod ubique modo observatur: sic ut citatio IN CASU DOTIS ET ALIMENTORUM per Officialem decreta aboleretur, tanquam ob abusum vitiosa. Ita videmus verissimum esse, jurisdictionem Ecclesiasticam per frustra tandem dirumpi, uti jam pridem querebatur Durandus Episcopus Mimatensis.

XXIX. In Belgio sanè juxta sæpiùs citata Concordata modestiùs agitur cum iudice Ecclesiastico; permittiturque iudice Ecclesiastico cognoscere de alimentis, quæ per virum aut mulierem peti contigerit pendente divortii causa, vel de tractamento alterius eorundem, si hæc coram eo incidant vel incidenter petantur, uti supra part. 2. tit. 15. c. 7. ostensum est; ubi unà notatum fuit, quando de dote aut donatione propter nuptias iudex Ecclesiasticus judicare queat juxta eadem concordata; item tit. 12 cap. 2.

XXX. Quin inter causas Ecclesiasticas reputandæ sint causæ Beneficiorum Ecclesiasticorum; uti & decimarum, præsertim ad Ecclesiasticos spectantium, nec non juris sfurandi & similibus, nemo dubitet. Unde in sæpe citatis Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem tit. 3. art. 13. hæc omnes causæ causis merè Ecclesiasticis annumerantur, „de quibus Iudex Ecclesiasticus etiam contra laicos poterit cognoscere in petitorio.”

Causa juris patronatus spiritualibus causis quoque accensetur. Ita enim „conjuncta & connexa spiritualibus causis dicitur in cap. 3. §. De judiciis, quod non nisi Ecclesiastico iudicio valeat definiri.”

Verùm jus patronatus laicis ratione feudi aut alicujus rei patrimonialis competens, non spirituale, sed quodammodo profanum, saltem quoad competentiam iudicis habetur.

Unde de hoc jure patronatus in citatis Concordatis §. 14. dicitur: „De jure verò Patronatus Principis suorum vasallorum, & aliorum laicorum, jus patronatus ad causam feudorum suorum, aut alterius rei immobilis habentium, quando inter duos laicos quæstio erit, quis eorum sit patronus, solus iudex sæcularis cognoscet, sive super illis principaliter, & de per se, agatur, vel cum universitate. Si verò inter duos vel plures præsentatos vel patronos laicos, quæstio fuerit coram iudice Ecclesiastico de institutione suâ, quis eorum præferri debeat, & incidit quæstio juris patronatus, de illâ sic incidenti, in præjudicium, iudex Ecclesiasticus cognoscet, & definiet.”

Verùm hodie rarè admodum de his causis sive Beneficiorum, sive Decimarum vel juris patronatus coram iudice Ecclesiastico agitur; quia quæstiones vel causæ hæc rarissimè in petitorio aguntur; sed dumtaxat in possessorio, quod ex notoria praxi coram solis Regiis Conciliis agitari potest uti infra capite 4. ostendemus.

C A P U T II.

De Causis Testamentariis, & quomodo ad Iudicem Ecclesiasticum spectent.

1. Apud Romanos summa fuit erga ultimas voluntates veneratio.
2. Solebant tabulas testamentarias Præfectis templorum confidere.
3. Imperatores Christiani executionem ultimarum voluntatum specialiter Episcopis demandarunt.
4. Christianis etiam usitatum fuit testamenta sua Episcopis consignare.
5. Hac consuetudo videtur causas testamentarias ad iudicem Ecclesiasticum transtulisse.
6. Jure Decretalium causa testamentaria sunt fori Ecclesiastici.
7. Ecclesiastici præscribebant solemnitates testamentarias reprobatis solemnitatibus à jure civili inductis.
8. Solemnitas jure Canonico inducta ubique passim recepta.
9. Tempore Philippi Valesii questi sunt laici causas hereditarias ad forum Ecclesiasticum trahi.
10. Ecclesiastici sustinebant eas de jure & consuetudine ad suum forum spectare.
11. Sæculo præterito cognitio causarum testamentariarum sensim ad iudices sæculares devolvi cœpit.
12. Vetita primum fuit Notariis Ecclesiasticis testamenti confectio.

- 13 *Hinc testamentorum cognitio ad iudices Regios quomodo devolutas? (erat adhuc mixti fori.)*
- 14 *Tempore Joannis Galli causa testamentaria in Gallia.*
- 15 *Hodie est solus fori secularis, sublatis contrariis locorum consuetudinibus.*
- 16 *Etiam si agatur de testamento ad pias causas.*
- 17 *Principes Belgii in hoc articulo moderatius egerunt cum jurisdictione Ecclesiastica.*
- 18 *Causa testamentaria Principum Edictis declaratur pertinere ad iudicem Ecclesiasticum. (mixti fori)*
- 19 *In Concordatis Brabantia causa testamentaria habetur*
- 20 *Judex Ecclesiasticus super causa testamentaria aditus potest etiam de connexis & emergentibus cognoscere.*
- 21 *Judex Ecclesiasticus in decisione harum causarum sequi tenetur ordinationes Principum, & locorum consuetudines.*
- 22 *Hoc juri conforme.*
- 23 *Quaedam actiones licet orientur ex testamento, soli iudici laico reservantur.*
- 24 *Quid de hac cognitione habeat Concordatum inter Episcopum Cameracensem, & magistratum Antverpiensem.*
- 25 *Ex concordatis Hannonia testamenta Ecclesiasticorum spectant ad Ecclesiasticos, & laicorum ad laicos iudices.*
- 26 *Concordata Brabantia dant potestatem iudici Ecclesiastico supplendi negligentiam executorum.*
- 27 *Item absolvendi ab onere executionis.*
- 28 *Synodi Belgica supponunt causas testamentorum in pias causas, ad Episcopos spectare.*
- 29 *Idque etsi testator id interdixisset; quod consonat juri communi.*
- 30 *Rectori & universitati Lovaniensi qua sit auctoritas circa testamenta Suppositorum?*
- 31 *Synodus Cameracensis ostendit testamenta Clericorum speciali ratione ad Episcopi curam spectare.*
- 32 *Licet non ubiq; causa testamentaria spectent ad forum Ecclesiasticum, Episcopi tamen curam piorum legatorum habere debent.*
- 33 *Id voluit Justinianus Imperator.*
- 34 *Synodi Belgica injungunt Parochis invigilare, ut pia legata solvantur, & pie foundationes impleantur.*
- 35 *Merito monent Pastores suos Parochianos, ut tempestive condant salutare testamentum.*
- 36 *Parochi debent esse parochianorum defunctorum quasi pii Procuratores, ut procurent executionem pie eorum voluntatis.*
- 37 *Parochi executionem piorum legatorum urgentes cavere debent omnem avaritia speciem.*
- 38 *Executores sapius suscitant infundatas lites super solutione piorum legatorum ex proprio interesse: & quod contra hos remedium?*

I. Inter causas profanas, quæ jam pridem jurisdictioni Ecclesiasticæ subjectæ fuere, una eaque è præcipuis fuit causa testamentorum, cujus cognitio & executio specialiter Ecclesiasticis competisse videtur.

Legitur apud Romanos, summam fuisse erga ultimas defunctorum ordinationes venerationem, habebantque ut sacrilegos & falsarios, qui ultima hominum elogia ante eorum mortem aperirent aut evulgarent. Is qui aperuit vivi testamentum, lege Corneliâ de falsis tenetur, ait Marcianus in l. 2. §. 5. ff. *Ad legem Corneliâ de falsis.*

II. Ut autem securius conservarentur, & fidelius executioni mandarent, solebant tabulas testamentorum deponere in æde sacra, ipsisque Præfectis ædis sacre eas considerare; cujus moris meminit Ulpianus in l. 3. §. 3. ff. *de Tabulis exhibendis*, dicens. "Proinde & si custodiam, tabularum adiutus, vel tabularius suscepit, dicendum est, eum teneri in interdito."

Per ædituum hinc intelligi ædituum templi, monet Gothofredus in notis n. 17. additque: Solebant enim Vereres testamenta templis eorumque custodibus, ut & Vestalibus commendare. Plures ex antiquis, qui hujus moris testes sunt,

ibidem citat Gothofredus.

III. Constat quoque Imperatores Christianos curam testamentorum specialiter Episcopis demandasse, ac voluisse, ut invigilarent, si suprema voluntas defuncti executioni mandaretur, uti videri potest in l. 28. *Cod. De Episcopis & Clericis*, nec non Authentica eidem subjecta.

IV. Unde & Christianis usitatum fuit, Episcopis sua testamenta consignare, eisque executionis curam committere Refert Amoinus lib. 4. *De Gestis Francorum* c. 30. Dagoberthum Regem Galliarum voluisse testamenti sui quatuor exemplaria fieri, „ è quibus unum Lugduni in Gallia, aliud Parisiis; tertium Mettis in archivis Ecclesiarum dirigi voluit. „

V. Ex hac porro consuetudine Fidelium consignandi tabulas testamentarias inter manus Sacerdotum, earumque executionem ipsis demandandi, verisimiliter fluxit. quod testamentorum executio, & difficultatum super his exorientium discussio & decisio ad Ecclesiasticos, quorum prudentiæ & religioni sua ultimæ elogia defuncti commiserant, transierit.

His accedebat, quod nullum pene testamentum conficeretur, nisi Notarius aliquis Ecclesiasticus interveniret; à quo factum testamentum etiam aliquid Ecclesiastici mutare videbatur, ratione cujus ad forum Ecclesiasticum spectare deberet.

VI. Quidquid sit, hoc equidem constat, vel è solis responsis & resolutionibus Pontificum, præsertim Alexandri III. Innocentii III. & Gregorii IX. quæ sub titulo *Decretalium De Testamentis* referuntur, quæstiones & causas testamentarias, etiam plane civiles ac profanas & laicales ad Pontifices & Episcopos fuisse relatas, ipsorumque decisiones super iis expetitas; quemadmodum videre est in cap. 16. & 13. *De Testamentis.*

VII. Quin & ea in causis testamentariis auctoritas erat Ecclesiæ, ut Alexander III. rescribens Hostiensi Episcopo in c. 10. *eod.* reprobata solemnitate juris civilis de adhibendis septem testibus, „ testamenta quæ Parochiani coram Presbitero suo, & tribus vel duabus aliis personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decrevit permanere sub anathematis interminatione; prohibentes (ait) ne „ quis hujusmodi audeat rescindere testamenta. „

VIII. Quod autem passim hæc Ecclesiæ auctoritas circa has causas agnita & recepta fuerit, vel hinc elucet; quod contra juris Civilis dispositionem, hæc Pontificis decisio, & præscripta forma testamentaria ubique penè recepta & probata fuerit.

IX. Inter articulos nomine Baronum & Nobilium Regni Galliarum coram Philippo Valesio per Petrum Cugnerium contra Prælatos ejusdem Regni propositos erant hi 64. & 65. „ Item volunt (iudices Ecclesiastici) inventaria facere de bonis illorum, qui ab intestato decedunt: voluntque bonorum tam mobilium quam immobilium possessionem habere, & ipsa per manus eorum distribui hæredibus, vel illis, quibus volunt conferre. Item testamenta quoque voluit per manus suas executioni tradere; inventaria facere bonorum defunctorum, eademque servare, & hæredibus distribuere; & habent officiales, qui super his exequendis „ duntaxat deputati existunt. „

X. Hæc à Petro Cugnerio asserta, Prælati non negebant, sed sustinebant illa ad iudices Ecclesiasticos tum de jure, tum de consuetudine spectare, Responsum enim Berrandi Episcopi Eduensis erat, Ad 64. & 65. qui loquuntur de executoribus & inventariis bonorum testatoris & intestatoris „ dicit, quod tam de jure scripto quam de consuetudine specialiter prælati sunt executores legitimi testamentorum, unde „ si executio venerit ad prælatum, nulli facit injuriam, bona „ inter hæredes distribuendo, & de eis inventaria faciendo, „ Et hoc idem dicit de bonis intestatorum, maximè in locis „ ubi sic de consuetudine extitit observatum à tanto tempore, quod in contrarium memoria non existit. „

XI. Agnoscit ipse Carolus Feyretius *De Abusu* lib. 4. c.

7. n. 3. quod in Burgundia iudices Ecclesiastici cognoverint de publicatione & executione testamentorum usque ad annum 1508. primumque cœperint post Ordinationem Francisci I. de anno 1539. iudices Regii de hac testamentorum publicatione judicare.

Additque Fevretius, quod & *pedetentim* pro temporis & casuum occurrentium opportunitate hæc cognitio iudicibus Ecclesiasticis adimi cœpta sit.

XII. Primò quidem adempta fuit Notariis Ecclesiasticis auctoritas conficiendi testamenta, eò, quod confectio testamenti videretur negotium merè sæculare, ac temporalitatem respiciens; ac ideo sæcularis cognitionis; uti ex stylo Parlamenti refert Fevretius ibidem n. 4. Et quidem interdicta fuit Notariis Ecclesiasticis testamenti confectio; abrogatis specialibus locorum consuetudinibus, quæ testamenta coram Notariis Ecclesiasticis facta probabant.

XIII. Hac factâ inhibitione, necesse erat in confectioe testamentorum adhiscere Notarios Regios, qui ex solito stylo apponebant clausulam submissionis iudicibus Regiis: qua mediante submissione, & appositione sigilli Regii testamenta inter casus Regios relata censebantur, ut notat Choppinus De Dominio Regio lib. 2. tit. 7. n. 6.

XIV. Verùm tamen si testamenta coram Notariis Regiis confecta, essent cognitionis Regiæ, tamen adhuc exclusi non erant iudices Ecclesiastici; sed præventioni locus erat; poterantque executores executionem voluntariè submittere Curia Ecclesiasticæ, ut de suo tempore testatur Joannes Gallicus, celebris & antiquus Juris consultus *Quæst.* 26. dicens Item „audivi dici à Domino Arnolde primo Præsidente in Parlamento, quod licet Episcopus Parisiensis faceret, coram Curia sua spiritali adornare executores alicujus defuncti, per hoc non acquireret præventionem contra Regem, quia executores possent, hoc non obstante, subicere executionem Curia Regiæ temporali intra annum à tempore mortis testantis, licet secus si voluntariè submitterent executionem Curia spiritali.”

Verùm & hanc præventionem paulatim in Gallia amissit Ecclesiasticus iudex; & cognitio de testamentis, quæ erant etiam ex præscripto variarum consuetudinum *mixti fori*, facta tandem est cognitionis *mere sæcularis*; idque sive testamentum fuerit laici, sive Sacerdotis; sive testatores subiecissent executionem Curia spiritali voluntariè, sive non; uti pluribus tandem arrestis probatum declaratum testatur Broudæus in notis ad Louëtium *Litt. N. n.* 5. quamvis ex notis Mornacii ad *L. 28. Cod. De Episcopis & Clericis* pateat, quod non ita pridem adhuc in vigore essent consuetudines Provinciarum, permittentes cognitionem de causis testamentariis iudicibus Ecclesiasticis, saltem per præventionem. Dicit enim Mornacius, quod hodie soli Regii iudices de hujusmodi controversiis cognoscant; addit tamen hanc clausulam. *Nisi aliter præscripti Provinciarum mores stant, ut apud Meldas & Tricassinos &c.*

Videri etiam potest Michaël Roussellius lib. 4. *Hist. Jurisd. Pontif. c. n.* 20. ubi notat, hodie generaliter controversias ex testamentis quibuscunque etiam Ecclesiasticorum, & inter Ecclesiasticos pendere à tribunali sæculari; licet esset etiam successio Ecclesiastici ut Ecclesiastici.

Ita videmus magis magisque jurisdictionem sæcularem extendi, & Ecclesiasticam restringi.

XVI. Quin et si ageretur de testamento ad *pias causas*, etiam Clerici, nihilominus quæstionem agitandam fore coram iudice sæculari, Parlamenta Regia determinasse videntur, uti indicat Broudæus loco allegato sub finem. Citatis enim *Cap. 6. 17. & 19. De Testamentis*, aliisque nonnullis Juris textibus, qui executionem & cognitionem testamentorum; signanter quoad legata & dispositiones ad *pias causas*, Episcopis deferunt, asserit hæc in Gallia non observari; quod adeo verum est (ait) ut si agatur de legato *pio*, prosecutio fieri soleat per procuratorem *Regium* coram Curia Regia; ita ut Episcopus se immiscere nequeat; additque opiniones eorum, qui causas has sustinebant, esse vel *Ecclesiastici*, aut saltem *mixti fori*, non recipi in Francia, nunquam re-

cipiendas, utpote, jam dudum contraria arresta abrogatas.

XVII. Sanè Principes Belgii moderatiores hætenus fuere iis restringenda jurisdictione Ecclesiastica quoad testamenta eorumque executiones, & quæstiones super eorum validitate exorientes.

Constat enim causas testamentarias jurisdictioni Ecclesiasticæ hinc in Belgio non esse subtractas; imò sæpius etiam in Litteris Principum declaratum, de iis iudices Ecclesiasticos cognoscere posse.

XVIII. Extat parte. 1. *Edict. Brabantia lib. 1. tit. 1. c. 1.* privilegium Philippi Boni de 3. Januarii 1447. quo conceditur pro privilegio incolis Brabantia, quod coram iudice Ecclesiastico citari nequeant, nisi ex causa *testamentorum*, contractuum antenuptialium, & bonorum amortizatorum, datâ facultate Ecclesiasticis iudicibus, sententias suas in his causis datas per mandata & inhibitiones exequendi. Verba sunt: *Dat sy in dien sacken hun metten de geesteleycke gherichte souden moghen behelpen, ende dan nyt bringen ende doen exequeren in onsen voorschreven Lande die monition ende andere gheboden daer toe dienende, ghelyck in voorledene tyden ende van oudts heeft plegen te gheschieden* Id est: Quod in his causis Ecclesiastico Jure protegere se possint, & proferre & curare, ut executioni mandentur monitiones; aliaque rescripta ad id spectantia in dictis nostris Provinciis, prout antiqua olim consuetudo obtinuit.

Rursus in additione 2. ad Lætum Introitum Caroli V. de anno 1515. *art. 3.* permittitur iudicibus Ecclesiasticis cognitio de tribus prædictis causis.

XIX. Verùm cum tantum dicatur, iudicem Ecclesiasticum cognoscere posse de his *tribus* causis, non excludendo ab earum cognitione iudicem sæcularem, sustinuerunt iudices Regii, causas illas esse *mixti fori*; atque in eam sententiam tandem itum est per Concordata inter Episcopum Leodiensem & Carolum V.

In his Concordatis *tit. 1. art. 1.* conventum est, quod „causæ testamentariæ in Ducatu Brabantia sub Diocesi Leodiensi censebuntur esse *mixti fori*, eritque *præventioni* locus, ita & taliter, quod iudex primò aditus, sive Ecclesiasticus sive sæcularis, de illis unâ cum incidentibus, emergentibus, annexis & connexis cognoscet; & decidet; & hoc quando agitur actione personali.”

XX. Deinde §. 2. subditur, „Videlicet si iudex Ecclesiasticus primò, & principaliter adeatur, in causa testamentaria, vel dotali, poterit coram eo libellari, & concludi ad validitatem vel invaliditatem testamenti, vel contractus dotalis, seu antenuptialis, & de viribus, & non viribus testamenti, vel non contractus dotalis antenuptialis, & de iis, quæ incidunt, & emergunt, vel necessario sequuntur, & sine quibus causæ hujusmodi expediri non possunt, & poterit sententiam suam per censuras exequi, vel per iudicis sæcularis requisitionem.”

Idem permittitur iudici sæculari §. 3. etiam quæstio virium vel non virium (testamenti) inciderit in alia causa coram eo attentatâ.

XXI. Additur & eodem articulo 3. quod iudex Ecclesiasticus in decisione hujusmodi causarum teneatur se conformare Ordinationibus Principum, & consuetudinibus locorum. „Salvo, quod in prædictis causis Iudex Ecclesiasticus non poterit iudicando contravenire ordinationibus, & constitutionibus Ducum Brabantia, nec statutis, consuetudinibus, vel privilegiis locorum, hætenus editis, & observatis, seu impostis edendis, & huic concordia non præjudicantibus, alioquin Princeps poterit providere.”

XXII. Et sane cum agatur de causa *civili* inter personas laicas; quæque non mero jura ad forum Ecclesiasticum spectat, sed quâdam tantum præscriptione & consuetudine, non est congruum, ut in his civilia jure observentur, ut notat Zypæus *De Foro. comp. n.* 6.

XXIII. Insuper §. 4. declaratur, quod „nec poterit iudex Ecclesiasticus cognoscere de feudis, aut de dominiis „jurisdi-

jurisdictionem habentibus, nec de actionibus realibus ex testamento ortum sumentibus.

XXIV. In Concordatis inter Magistratum Antverpiensem & Episcopum Cameracensem (cui Antverpia tunc erat subiecta) causa testamentaria remittitur ad Episcopum, ut habetur in concordato de 9. Sept. 1490. parte 1. Edict. Brabantiae lib. 8. tit. 1. c. 6. notatque Zypæus, ex hoc Concordato causas testamentarias judici Ecclesiastico *privativè* reservari, nec esse præventioni locum; & ita anno 1503. judicasse Senatorem Brabantiae ibidem refert.

Quinimò credit Zypæus, quòd videatur Episcopus Cameracensis eodem jure usus, quàm se Diocesis Cameracensis extendit in Brabantiam: quod & Præses Everardus conf. 136. indicasse apparet, uti ex ejus verbis à Zypæo ibidem relatis colligitur.

XXV. In Concordatis inter judices Ecclesiasticos & Sæculares Hannoniae de 12. Jan. 1483. art. 8. & causæ testamentorum Ecclesiasticorum deferuntur *privativè* judici Ecclesiastico; laicorum verò judici sæculari. *Quant au fait de tous testaments, codicilles, & dernieres volontes des Prestres, Cures & gens d' Eglise beneficiers & Officiers portans habits d' Eglise & Cleres de paroisses tonsures, puissants & habils de se faire faits & passes pardevant notaires, ou temoins ou par autre forme, selon l' ordonnance de l' Eglise la cognoissance sera & appartiendra à la Justice spirituelle SEULEMENT, & auront iceux testaments, codicilles & derniere volunté, pleine execution audit pays d' Haynault, sans prejudice toutefois de ceux qui seront exempts de la jurisdiction de mondit Seigneur de Cambray, qui demeureront pardevant leurs juges; & d' autres testaments la cognoissance en demeurera à la justice temporelle, comme il est accoustumé.* Id est: Quod ad causam quorumvis Testamentorum, Codicillorum, & ultimarum Voluntatum, Presbyterorum Parochorum, & personarum Ecclesiasticarum, Beneficiatorum, & Ministrorum gestantium habitum Ecclesiasticum, & Clericorum Parochialium tonsurâ insignitorum, capacium & idoneorum similia condendi, actaque fuerint coram Notariis aut testibus aut alio modo juxta leges Ecclesiae, cognitio ad SOLUM Judicem Ecclesiasticum spectabit, dictaque testamenta Codicilli & ultimæ Voluntates integrè executioni mandabuntur in dicta Hannoniae Provincia, salvo tamen eorum jure, qui erunt Jurisdictione dicti Domini Archiepiscopi Cameracensis exempti, qui coram suis Judicibus se sistunt, aliorumque Testamentorum cognitio ad sæcularia tribunalia, ut moris est, competet.

Ex his manifestum est, in causis testamentariis plus in Belgio, quàm in Gallia judici Ecclesiastico attribui; quamvis & illud constat, non in omnibus Belgii Provinciis aut locis eandem in hac re consuetudinem aut legem esse.

Hoc quoque fatendum est, quòd ubi præventionibus locus est soleat magis ad sæcularia quàm ad Ecclesiastica tribunalia recurri; cujus ratio infra capite ultimo exponetur.

XXVI. Non tantùm de validitate aut invaliditate cognoscendi auctoritatem tribuunt judici Ecclesiastico Concordata Brabantiae; sed & supplendi negligentiam Executorum. Si autem (inquiunt) executores piorum legatorum fuerint reperti negligentes, & culpabiles; poterunt secundum causæ exigentiam per Judicem Ecclesiasticum puniri, & eorum negligentiam suppleri.

XXVII. Insuper dant potestatem judici Ecclesiastico, absolvendi Executores ab onere executionis, citandique omnes interesse habentes; qui tamen si laici sint, inviti comparere non tenebuntur. Verba sunt: Et si dicti executores coram giudice Ecclesiastico ab onere executionis dictorum piorum legatorum absolvi se petant, poterunt quoad illum effectum duntaxat ab eo citationes impetrare, vigore cujus nominatim vocentur omnes, quibus legata pia relicta fuerunt, & in genere omnes alii sua communiter, vel divisim interesse putantes. Cujus tamen occasione laici coram Ecclesiastico giudice comparere non tenebuntur, nisi velint, valebitque citatio ad effectum absolutionis legatorum piorum duntaxat.

XXVIII. Synodi nostræ Belgicæ supponunt, executionem testamentorum præsertim in *pias* causas ad Episcopos spectare. Synodus Namurcensis sub Havetio anno 1570. titulo De Testamentis c. 1. postquam dixit, non esse ferendum ab usum, qui passim cernitur circa testamentorum executionem, quò sæpè numero fit, ut defunctorum extrema voluntas suam non sortiatur effectum, & quæ in *pios usus* erant insumenda, in alios contra fas & æquum expendantur, præcipit, ut qui à decessuro nominati sunt executores, si onus suscipere velint, ante omnia curent defuncti bona describi præsentibus fide dignis testibus, quæ ubi erunt descripta unà cum testamento, infra mensem à morte Testatoris, ad nostri fori judicem deferant; per quem in dubiis, si quæ orientur, Executores instruantur, & si in muneri suscepti functione fuerint negligentes, corriguntur.

XXIX. Similia passim in aliis Synodis leguntur, additque Synodus Buscoducensis sub Masio tit. 23. c. 2. in omnibus *piis* voluntatibus esse per locorum Ordinarios providendum ut secundum defuncti desideria omnia fideliter fiant, licet etiam à testatoribus contingeret interdici. Quæ clausula desumpta est ex Cap. 17. §. De Testamentis.

XXX. Auctoritatem super executione testamentorum Rectori & Universitati nostræ Lovaniensi competere, Universitatis Statuta & notoria praxis supponunt.

In his enim Statutis titulo De *Piis* Legatis legitur: „Executores ultimarum voluntatum Suppositorum decedentium, statim post mortem defuncti Suppositi, cujuscunque etiam conditionis fuerit, testamenta hujusmodi Domino Rectori præsentem Notario Universitatis exhibeant, quam exhibitionem Rector & Notarius gratis admittat.

„Executores anno suæ Administrationis finito computum & rationem hujusmodi Piorum legatorum & suæ Administrationis coram Rectore & ordinariis Deputatis reddant. Ad hujusmodi computum fieri videndum, omnes & singuli Creditores hæredes, legatarii, & successores, ac jus & actionem in bonis Testatoris habentes per edictum publicum in valvis Ecclesiae Collegiatæ S. Petri Lovaniensis proponendum vocentur.

XXXI. Synodus P. II. Cameracensis tit. 22. c. 18. ostendit, ad Ordinarium sive judicem Ecclesiasticum speciali ratione spectare executionem ultimarum voluntatum *iporum Clericorum*; decrevitque à sua Majestate Regia postulandum, ut judices laici, nullam moveant difficultatem in hac executione; sed penes Episcopos seu alios judices Ecclesiasticos sit libera facultas cogendi executores dictorum testamentorum, etiam laicos, & reddendum suos computus, & pia legata, aut foundationes executioni demandandum.

Hæc conformia videntur Concordatis inter Episcopum Cameracensem & Magistratus Hannoniae supra relatis.

XXXII. Licet non ubique hæc auctoritas juridicè cogendi executores testamentorum, aut ipsos ab onere executionis absolvendi, quantumvis etiam sint testamenta ad *pias causas*, competat Episcopis; nihilominus nemo dubitat, quin talem ipsis incumbat pro paterna sua sollicitudine invigilare, ut defunctorum pia voluntas observetur; ipsaque pia legata suo tempore solvantur, & secundum voluntatem defunctorum impendantur.

XXXIII. Ita & Justinianus in L. 46. Cod. De Episcopis, vult ut Episcopi curam piorum legatorum habeant; atque negligentes hæredes & executores urgeant adimplere; sed si ipsorum mandatis non obediant, ipsique consequenter hæredes juridicè cogendi sint, vult ut per Judices Provinciarum cogantur: *Clarissimis Præsidibus Provinciarum necessitatem imponentibus heredibus ea perficere.*

XXXIV. Unde etiam Synodi nostræ non tantum Episcopis, sed & Parochis præcipiunt, ut „piorum legatorum diligentem curam habeant, & seriis monitionibus satagant, ut ante finem anni *piis* Fundatorum voluntatibus satisfiat, alioquin ii, quibus hoc onus incumbit, Ordinario denuntientur. Ita Synodus P. II. Mechliniensis titulo 17. capit. 9.

XXXV. Synodus Audomarenſis anno 1583. tit. 24. c. 1. vult, ut in primis, Paſtores moneant parochianos ſuos, ut tempeſtivè teſtamentum condant ſalutare, atque ita diſponant tempori, domui, rebuſque ſuis, ut in morte diſpoſitum eſſe deſiderent, ne opus ſit, animum tum anxie hiſ occupari, cum ea relinquenda ſunt.

XXXVI. Deinde addit: „Ubi illi vitam cum morte muſtaverint, ſint eorum veluti procuratores, tum ut animabus eorum, ſubſidio fortaliſſis egentibus, ſacrificiis, precibus, eleemoſinis, cæteriſque caritatis officiis ſuccurratur, tum etiam ut piæ eorum, quas ultimò teſtati ſunt, voluntas, ac teſtamentariæ conſtitutiones, executioni, ita ut oportet, mandentur. Perquirant itaque quid conſiderint piorum legatorum: quod ubi intellexerint, obſervent, juſtis executionum ritè peractis, an hæredes & teſtamenti executores id adimpleant; & ſi tardi illi aut negligentes fuerint, moneant eos, noſtrâ etiam auctoritate, ſi opus eſt. Quod ſi anno à morte teſtatoris evoluto, refractarii difficileſque perſeverent, Nobis aut Vicariis noſtris vel Procuratori animarum à nobis deſignato, abſque ulteriori diſſimulatione illos denuncient.“

XXXVII. Executionem hanc ſecuriùs urgere poterunt Paſtores, ſi nihil ſit, quod directè aut indirectè in proprium ipſorum emolumentum cedere queat; aliàs prudenter & circumſpectè procedere debent, ne hîc avaritiæ aut cupiditatis ſuſpicionem incurrant. Hinc & monet Synodus Namurcenſis anni 1639. tit. 15. c. 3. „Caveant ſeriò Paſtores, ne à moribundis aliquid ſibi teſtamento legari petant.“

XXXVIII. Valde quoque notandum, quod obſervat citata Synodus Namurcenſis ſub Haverio, multos, ne voluntati teſtatoris ſatiſfaciant, tergiverſari, qui certa & manifeſta controvertentes, iniquos proceſſus temerè ſuſcipiunt, non ſuo, ſed eorum periculo, quibus bona teſtamento ſunt relicta. „Id ne quis (ait) poſthac faciat, ſtatuiſmus, ut ſi Executors abſque juſta & evidenti cauſa litem inſtituant, & per judicis ſententiam in expenſas condemnentur, eas de ſuis, non teſtatoris bonis refundere cogantur.“ Hæc ſi à judiciſ obſervarentur, quàm multæ lites infundatæ & temerariæ, quibus sæpè piæ fundationes exhauriuntur, non ſuſciperentur; ad quas ſuſcipiendas procliviores ſunt executores, quia nihil damni ſibi ex iis metuunt, & notabile emolumentum ex vacationibus & labore in earum proſecutione impendendis ſperant.

CAPUT III.

De aliis Cauſis profanis ad ſpecialem Epiſcoporum curam ſpectantibus.

- 1 Bona verè Eccleſiaſtica à laica juriſdictione quomodo exempta.
- 2 Jure communi cauſa ſuper bonis Eccleſiaſticis ſpectant ad judicem Eccleſiaſticum.
- 3 Illud & in Principum noſtrorum Ediſtis expreſſum quoad bona amortizata.
- 4 Quæ ad hunc effectum cenſenda ſint amortizata.
- 5 Quare hodie bona Eccleſia præſumantur amortizata.
- 6 Vi Concordatorum Brabantia Officialis cognoscere poteſt de bonis amortizatis; modo priùs ipſi conſtet eſſe amortizata.
- 7 Quæſtio, an ſint amortizata, ad judicem Regium ſpectat.
- 8 Quis de ſervitute ſuper bonis amortizatis cognoscat?
- 9 An laicus actione personali occasione bonorum amortizatorum coram judice Eccleſiaſtico conveniri queat?
- 10 Quare hodie rarò cauſe ſuper bonis amortizatis coram judice Eccleſiaſtico tractentur?
- 11 Quid de cauſis ſuper rebus mobilibus Clericorum.
- 12 Arreſtum per judicem ſæcularem injici non poteſt penſioni Eccleſiaſtica reſervata alicui Paſtori.

- 13 Poſſet tamen judex ſæcularis inhibere colono alicujus Clerici, ne mercedem ſolveret.
- 14 Quomodo de dote in Belgio cognoscat judex Eccleſiaſticus remiſſivè.
- 15 Declararunt Principes Belgii, Judices Eccleſiaſticos tantum de tribus cauſis ſcilicet teſtamentorum dotis, & bonorum amortizatorum cognoscere poſſe.
- 16 Hæc reſtrictio reſpicit tantum cauſas profanas.
- 17 In aliis cauſis profanis ſi laicus citetur, citatio per Senatum Regium caſſatur.
- 18 Nec per laicum in aliis cauſis juriſdictio Eccleſiaſtica hodie prorogari poteſt.
- 19 An laicus ex contractu conveniri queat coram judice Eccleſiaſtico ratione interpoſiti juramenti?
- 20 Cauſa viduarum & miſerabilium perſonarum hodie non ſunt fori Eccleſiaſtici.
- 21 Hujusmodi perſonæ ſunt ſub ſpeciali protectione Regis.
- 22 Poſſunt ſuos creditores vocare coram Senatu Regio in prima inſtantia.
- 23 Aliquando judicatum, famulum ratione ſui ſalarium poſſe convenire Clericum actione personali coram Senatu Regio; & quare?
- 24 Licet cauſa miſerabilium perſonarum non ſint hodie fori Eccleſiaſtici, curam tamen illarum perſonarum habere debent Epiſcopi.
- 25 Monitum de hac re S. Caroli ad Epiſcopos.
- 26 Hoc ſenſu verificari poteſt reſponſum Prælatorum Gallia ad articulos Petri Cugnerii.
- 27 Interdum Epiſcopi apud judices, aut etiam Principem inſtare debent, ut miſerabilibus perſonis juſtitia adminiſtretur.
- 28 De jure communi & ex communi Canonistarum opinione judex Eccleſiaſticus ſupplere poteſt negligentiam Judicis ſæcularis non adminiſtrantis juſtitiam.
- 29 Hæc opinio hodie non admittitur.

Res Eccleſiæ eſſe exemptas à poteſtate laicorum; nec eas à laicis gravari poſſe ſupra parte 2. r. 35. c. 2. vidimus, ubi una nota vimus, non omnia bona ad Eccleſiaſticos ſpectantia, hodie cenſeri bona Eccleſiaſtica, ſaltem eatenus, ut immunitate bonis Eccleſiaſticis indultâ gaudeant; ſed ea tantum, quæ amortizata ſunt, aut ut alia tempore præſcripto ab Eccleſia poſſeſſa fuerunt. De hac amortizatione vide ſupra part. 1. tit. 29. c. 3.

II. Porrò ſicuti Eccleſiaſtici ſive Clerici fori privilegio gaudent; ita quoque bona verè Eccleſiaſtica, qualia hodie ſunt bona amortizata, à juriſdictione ſæculari inſpecto jure communi exempta eſſe, unanimi conſenſu docent Canonice; quod & hîc in Belgio etiamnum hodie ferè obrinet.

III. In litteris Philippi Boni de 3. Januarii 1447. expreſſè declaratur, quòd cauſæ de bonis amortizatis ſpectent ad judicem Eccleſiaſticum ita ut in hujusmodi cauſa laicus conveniri queat coram Eccleſiaſtico judice: *Van geestelycke ende amortizeerden goeden.* Quod & expreſſum eſt in additione 2. ad Lætum Introitum Caroli V. de anno 1515. art. 3. Extat parte 1. Ediſt. Brab. lib. 2. tit. 1. c. 17.

IV. Cum verò variæ, quæſtiones inter Eccleſiaſticum & laicalem judicem occasione harum cauſarum moverentur, tandem pluribus articulis hæc materia in Concordatis inter Carolum V. & Epiſcopum Leodiensem expoſita fuit.

Imprimis tit. 3. art. 1. declaratur, quòd, illa bona tantum cenſeri debeant amortizata, quæ à juriſdictione ſæculari per Principem ſunt exempta, litteris deſuper ritè expeditis, vel quæ à 70. aut 80. annis tanquam amortizata per Eccleſiam poſſeſſa fuerunt.

V. Verum enim verò (ait Zypæus De Foro comp. n. 21. „impræſentiarum non eſt valde laborandum de hujusmodi amortizatione, cum omnia ferè bona Eccleſiaſticorum ab annis nunc 70. ut amortizata poſſideant; quoad Collegia antiquiora, quæ hiſ calamitoſis temporibus paſſim ob publicas collectas, reales & personales, à quibus ſaltè in Brabantia, viximuntur, magis decreverint, quàm res ſuas auxerint pleraque inſignia prædia, aliæque ob hæc onera diſtraxerint.

VI. Præmissâ descriptione bonorum amortizatorum subditur in Concordatis *art. 2.* "Officialis cognoscat de proprietate bonorum amortizatorum, ut supra, etiam contra laicum."

Sed ne sub prætextu amortizationis laici in aliis causis ad tribunal Ecclesiasticum citentur, additur hæc cautio: Sed priusquam citatio decernatur, debet eidem (Officiali) de amortizatione prædicta constare, per litterarum amortizationis inspectionem, vel copiam authenticam vel de possessione per tempora, in Citatorio exprimendo modum, per quem eidem de huiusmodi amortizatione constiterit."

VII. "Factâ autem hoc modo citatione, de sequenti, reus laicus (pergunt Concordata) ante litis contestationem amortizationem prædictam verbo, vel scripto poterit impugnare, cum causarum suarum allegatione & resignatione,

"Et si super eadem impugnatione incidens quæstio emergerit, (inquiunt Concordata) illa ad Concilium Brabantiae decidenda remittetur, cum præfixione termini unius anni, intra quem quæstio illa veniet terminanda, alioqui Officialis ad causæ principalis expeditionem procedere poterit, perinde ac si quæstio illa non incidisset."

VIII. Hæc de causis, quæ ipsam bonorum amortizatorum proprietatem tangunt; si autem agatur de servitute, sive in urbanis prædiis vel rusticis ex quocunque jure prætendatur, cognitio non spectabit ad Officialem, nisi quando ambo fundi tam dominans, quam serviens amortizati fuerint; uti declaratur *art. 4.*

Et *art. 5.* "De terminis & limitibus ponendis, vel amovendis, iudex Ecclesiasticus non cognoscat, sed sæcularis solus"

IX. Hactenus de actionibus realibus ratione bonorum amortizatorum, vel servitutibus illis bonis inhærentibus. Si autem laicus actione *personali ex contractu* per Ecclesiasticam personam conveniatur ratione bonorum *merè Ecclesiasticorum*, ut putâ decimarum, vel oblationum, vel ratione bonorum (ut prædicitur) *amortizatorum*, poterit laicus in jus trahi coram Officiali; vel iudice sæculari: ita quod illis actio erit *mixti fori*. Ita Concordata *art. 10.* Idem erit, si laicus *in vitis* dominis, videatur *defructuâse* bona *merè Ecclesiastica*; uti ibidem dicitur.

X. Dicta evincunt cognitionem bonorum amortizatorum hisce Concordatis iudici Ecclesiastico attribui; sed sub his limitationibus & cautionibus, ut mirum videri non debeat, rarò causas huiusmodi hodie coram iudice Ecclesiastico tractari, præsertim quia *art. 7.* dicitur. "Abbatibus & Abbatissæ & aliis de Statibus Brabantiae" (penes quos præcipua bona amortizata resident) "juri stabunt activè & passivè coram iudicibus illis, coram quibus de antiqua consuetudine, stare juri consueverunt." Nimirum coram supremo, Brabantiae Senatu, uti titulo præcedenti *c. 4.* dictum est.

XI. Certum est, bona *mobilia* magis sequi personam, ac de conditione personæ plus mutare, quam bona *immobilia*: unde de illis eodem titulo Concordatorum *§. 8.* determinatur: "Bona mobilia, & moventia Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, & Clericorum beneficiarum, actu suis officiis deservientium, aut in Universitate studentium, vel reipublicæ causâ absentium, viventium, vel piorum locorum, sequentur conditionem personæ, vel piorum locorum, quoad forum, nisi in casibus, in quibus iudex sæcularis potestatem habet in Clericos, sive eorum bona."

XII. Hinc Zypæus *consult. 2. de iudiciis* sine ulla hæsitacione resolvit, nullum, irritum, atque invalidum esse arrestum per iudicem sæcularem injectum pensioni Ecclesiasticæ & spirituali, cuidam Sacerdoti reservatæ super Pastoralis sui solvendæ per Deservitorem ejusdem Pastoralis. Rationem præmisit; quia iudex sæcularis in bona *mobilia* Clericorum, quæ *persona conditionem* sequuntur, jurisdictione non habet.

XIII. Monet tamen ibidem Zypæus: "Quòd si autem sæcularis quispiam ejus (Clerici) colonus aut alias debitor, esset, tum isti personæ sæculari à suo iudice juberi posset ut manus suas non vacuaret."

XIV. Præter duas has causas civiles & profanas, scilicet testamentarias, & bonorum amortizatorum, iudici Ecclesiastico permittitur tertia, nimirum *dotis*, sive contractus antenuptialis; quæ in allegatis concordatis conjungitur causis testamentariis; ut tantum repetenda sint, quæ capite præcedenti de his dicta sunt.

XV. Porro declaratur Philippus Bonus in citatis literis de 3. Januarii 1447. & Carolus V. in allegata additione 2. ad suum lætum introitum, Iudices Ecclesiasticos contra laicos cognoscere non posse, nisi in tribus prædictis causis. Verba Additionis sunt: *Dat die selve Geestelycke Rechters, MAER kennisse nemen en sullen van DRY sachen SONDER MAER: ta vveten van die vverden of onvverden van testamenten, van houvvelyckxsen voorvvaerden, van Geestelycke gheadmortiseerde goeden ende NIET VOORDERE.* Id est. Ut iidem iudices Ecclesiastici de tribus duntaxat causarum generibus cognoscant, videlicet de validitate aut invaliditate testamentorum de pactis antenuptialibus, de bonis Ecclesiasticis amortizatis, nec omninò de aliis.

XVI. Hanc restrictionem intelligendam esse de causis merè civilibus; non autem de merè Ecclesiasticis & spiritualibus, rectè advertit, & ostendit Zypæus de Foro comp. *n. 5.* hæcque etiamnum hodie ad Ecclesiasticum iudicem spectare; & in his causis laicos in Belgio coram Ecclesiastico iudice posse conveniri.

XVII. Itaque quoad causas civiles & profanas jurisdictione Ecclesiastica ad has tres causas restringitur; ita ut ratione *causæ* laici foro Ecclesiastico non sint subjecti extra prædictas causas neque iudex Ecclesiasticus ex alia causa civili laicum citare possit.

Hinc Hubertus Loyens in Tractatu de Curia Brabantiae *c. 15.* ait. "Ad Senatum (Brabantiae) quoque attinent restrictiones iudiciorum Ecclesiasticorum, quando municipes, vel incolæ Brabantiae ad eorum tribunal evocantur, extra tres causarum species, nempe testamentorum validitate, pactorum Matrimonialium valore, & rerum impiosus usus donatarum, seu per amortizationem sæculari potestati subductarum."

XVIII. Imò in tantum iudex Ecclesiasticus in aliis causis profanis est iudex incompetens laicorum, ut nec consensu laici approbari queat. Quoniam (ait Roussellius *lib. 6. c. 5. n. 13.* non patimur jurisdictiones prorogari, quia non pendent ex voluntate subditorum, sed patrimoniales sunt, vel Regiæ, & utraq; à Principe promanantes."

XIX. Unde quod Canonistæ communiter dicunt, laicum ex contractu civili posse conveniri coram iudice Ecclesiastico, si iuramentum de adimplendo contractu fuerit interpositum, ut supra *tit. 1. c. 1.* monui, hodie in desuetudinem abiit, quemadmodum monet Renatus Choppinus *lib. 2. de S. P. rit. 2. n. 3.* dicitque eum disciplinæ forensis usum jam pridem explosum esse.

XX. Similiter quod communiter tradunt Doctores post Glossam ad *c. 15. De Foro comp.* quòd causæ etiam civiles & profane viduarum & miserabilium personarum pertineant iudicem Ecclesiasticum, ita ut huiusmodi personæ debitores suos laicos coram Tribunali Ecclesiastico citare possint; explosum esse pluribus citatis notat Roussellius, *lib. 6. Hist. Pontif. c. 5. n. 14.*

XXI. Atque hodie receptum est, quòd jam pridem dixit coram Philippo Valesio Petrus Cugnerius: nimirum, mulieres viduas, pupillos, aliàsque miserabiles personas cum suis bonis esse de *guardia* Regis; & causarum illarum cognitionem spectare ad Regem.

XXII. Et quidem legitur jam pridem decretum à Constantino M. in *lege Unica Cod. Quando Imperator inter pupillos vel viduas, &c.* "Quòd si pupilli vel viduæ, aliique fortunæ injuriâ miserabiles iudicium nostræ Serenitatis oraverint, præsertim cum alicujus potentiam perhorrescunt;

„cogantur eorum adversarii examini nostro sui copiam facere.“

Hoc privilegio etiam hodie miserabiles personæ utuntur; refertque judicatum Antonius Faber in Codice *lib. 3. tit. 13. Defin. 1.* quod vidua uti possit hoc privilegio etiam contra pupillum, tamen etiam ageretur de notabili dote. Plura de hoc personarum miserabilium privilegio vide apud Covarruviam *Pract. qq. c. 6.*

XXIII. Imò uti notat Fevretius de Abusu *lib. 4. cap. 10 n. 9.* eò extensum est hoc privilegium, ut si quæstio esset de salario alicujus operarii, aut famuli, vel ancillæ contra Clericum etiam permitteretur actione personali convenire Clericum coram Senatu Regio, & ita judicatum fuisse in Parlamento Parisiensi 11. Augusti 1633. rescissâ inhibitione factâ per Officium Episcopi cuidam pauperi fœminæ non conveniendi Presbyterum super suo salario alibi quàm coram ipso. Injustum enim apparebat Senatu Regio, remittere hanc pauperem fœminam ad judicem Ecclesiasticum, à quo non posset accipere aliquam provisionem, nisi post tres sententias conformes. *N'y ayant (ait Fevretius) aucune apparence d'obliger un serviteur ou mercenaire, d'aller plaider pour ses gages & salaires en Cour d'Eglise, eù il ne pourroit obtenir une provision exécutoire sans appelle, qu' apres trois sentences conformes.* Id est: Cùm omnino videatur absurdum, ut cogatur famulus mercenarius coram Ecclesiastico tribunali pro stipendio aut mercede litigare, nec executionem, à qua appellari non posset, obtinere valeret, nisi post tres sententias conformes.

XXIV. Verùm tamen hodie causæ miserabilium personarum non pertineant ad tribunal Episcopi, eatenus, ut personæ illæ possint laicos debitores suos *juridicè* coram ipsius tribunali citare; possintque Officiales Episcoporum eo titulo de causis Civilibus laicorum cognoscere, nihilominus illud semper verum est, quod non tantùm Episcopi, sed & omnibus, quibus animarum cura incumbit, *præcepto divino mandatum sit, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere,* uti loquitur Synodus Tridentina *Sess. 23. c. 1. De Reform.*

XXV. Sanctus Carolus in suo Concilio Mediolanensi III. c. 18. monet Episcopos, quod sacri Canones ipsis curam pauperum & oppressum specialiter injunxerint, ac propterea aliquem sive laicum, sive Ecclesiasticum designare debeant, qui ipsorum causas suscipiat & prosequatur. Pupillorum, viduarum, & egentium hominum cura Episcopo, communi omnium parenti, à sacrosanctis Canonum legibus potissimum commendata & commissa negligi non debet; ne si lædantur, vociferentur ad Dominum, qui exaudiet clamorem eorum. Quamobrem pro sui muneris officio Episcopus aliquem constituat Ecclesiasticum, vel alium pium hominem, Christianæ charitatis operibus atque officiis deditum, qui viscera misericordiæ indutus, id generis hominum patrocinium in omni causa suscipiat. Quod si aliqui jam huic pio operi præfecti sint, id agat Episcopus, ut ii munus sibi creditum exequantur quàm diligentissimè.

XXVI. Hoc sensu rectè responsum est ad articulum Petri Cugnerii supra relatam nomine Prælatorum: „De viduis & pupillis dicit Episcopus, quod de jure divino & humano, guardia talium personarum, quantum ad violentias & saisinas, pertinet ad Ecclesiam? & sic de consuetudine observatur in Ecclesiis Gallicanis.“

XXVII. Unde si viduæ aliæque personæ miserabiles justitiam contra potentes consequi non possint, meritò Episcopi & Pastores operâ & consilio ipsis assistent; etiam instando apud judices Regios, ut Justitia iis administraretur; aut etiam Principem in terpellando, si opus sit, ut iudicibus injungat justitiam administrare.

Ita jam pridem Justinianus sanxit, ut si negligentes fuerint judices in administranda justitia, adeatur loci Episcopus; hicque apud judices pro administranda justitia instet.

XXVIII. Nec tantùm instare posse, Episcopos, ut in foro sæculari jus ipsis viduis aliisque personis miserabilibus admi-

nistraretur; sed & judicem Eccl. si. st. cum posse negligentiam judicis sæcularis supplere, communis est Canonistarum opinio fundata in *Cap. 11. De Foro comp.* ubi Glossa ait: „Nota quod propter negligentiam judicis sæcularis transferatur jurisdictio ad Ecclesiasticum judicem.“

XXIX. Hanc esse receptam à Canonistis opinionem notavit quoque Covarruvias *Pract. qq. c. 6. n. 1.* de qua tamen ipse se ingenuè fateri debere dicit: „Hoc certò scio, eam apud Regia Hispaniarum & Galliæ Prætoria risui equidem fore, tantùm abest, ut ea in usum & praxim recepta fuerit.“

Similiter Michaël Roussellius *lib. 6. Hist. Pontificia jurisdict. c. 5. n. 16.* relatis legibus Wisigothorum, quibus concedebatur Episcopis reformare sententias laicorum, subjungit: „At hodie antiquatæ sunt istæ dispositiones, siquidem verum est, quod Bavidilla scribit, non esse jus Ecclesiastico judici laicum Prætorem cogere, ut ab eo carceri deditum, licet injustè, liberet; & non facile admissum iri, ut Episcopalis notio de causis pauperum & viduarum, atque de negligentia sæcularis Magistratûs supplenda jurisdictionem habeat, quoniam lege Regiâ prohibetur conventio laici coram judice Ecclesiastico: aded ut si pro causa purè prophana, quæ non sit mixti fori, laicus laico diem dixerit apud forum Ecclesiasticum, eum puniri velit lex Regia.“

CAPUT IV.

De Possessorio & Petitorio in Causis Ecclesiasticis.

- 1 De jure communi etiam possessorium rei spiritualis spectat ad iudicem Ecclesiasticum.
- 2 Contrarius usus jam pridem invaluit in Gallia.
- 3 Martinus V. declaravit, se nolle huic usui quoad possessorium retinendæ possessionis derogare.
- 4 Pontifex per suam Bullam nullum novum privilegium concedit, sed receptum usum tantum permittit.
- 5 Hac & similes Pontificum Declarationes jus Regium super cognitione possessorii non parum firmarunt.
- 6 Etiam earum occasione ad alia Regna is usus extensus.
- 7 In Belgio sub finem sæculi 15. stabilitus fuisse videtur.
- 8 Sensim & gradatim usus ille invaluit.
- 9 In Concordatis Brabantia possessorium retinendæ & recuperandæ possessionis defertur iudici Sæculari, adipiscendæ autem Ecclesiastico.
- 10 Etiam in Gallia primitus possessorium adipiscendæ iudici Ecclesiastico relictum.
- 11 Quare prius potius quàm posterius sibi iudices Sæculares attraxerint?
- 12 Pretendunt iudices Regii in possessorio tantùm tractari questionem facti, non juris.
- 13 Verisimile primitus iudices Regios non cœpisse plenam titulorum aut jurium discussionem.
- 14 Olim incognita fuit distinctio inter simplicem recredentiam & plenum possessorium: & unde hac originem habuerit?
- 15 Quid recredentia? & unde sic dicta?
- 16 Quamdiu duret effectus recredentia?
- 17 A Recredentiaro præstanda cautio de restituendis fructibus; & qualis præstanda remissivè.
- 18 Cui in casu Beneficiali recredentia adjudicanda?
- 19 Ad abbreviandas lites in materia Beneficiali debent partes in initio litis exhibere titulos.
- 20 Id conforme est Concordatis Brabantia.
- 21 Quanam nomine tituli intelligantur?
- 22 Ex Ordinatione Francisci I. Regis Francia tenentur etiam exhibere capacitates, capacitez, quid harum nomine intelligatur.
- 23 Aliquando usus habuit, ut super recredentia & pleno possessorio duo distincti processus instituerentur.
- 24 In hodie vetitam.

- 25 Potest tamen distinctè super iis pronuntari.
- 26 Recredentia adjudicatur præviâ summariâ causa discussione.
- 27 Recredentia non est adjudicanda, dum causa sine nova probatione in pleno possessorio potest expediri.
- 28 Pro pleno possessorio causa plenariè instruitur, & tituli discutiuntur.
- 29 Judices Regii hodie revera examinant & discutiunt petitorium.
- 30 Hinc & inhibetur hodie possessorii & petitorii cumulatio.
- 31 Quamdiu possessorium pendet, vel totalem executionem non habet, non potest intentari petitorium.
- 32 Quandonam quoad hunc effectum sit evacuatum possessorium?
- 33 Lata & executioni mandata sententia pleni possessorii potest intentari petitorium.
- 34 Si à sententia pleni possessorii sit appellatum, debet petitorium suspendi pendente appellatione.
- 35 Licet soli Judices Regii cognoscant de possessorio in materia Ecclesiastica, tamen interdum appellari potest.
- 36 Quamdiu petitorium coram Judice Ecclesiastico pendet, possessorium retinet suum effectum.
- 37 Hinc rarò post plenum possessorium intentatur petitorium.
- 38 Altera ratio, qua facit, ut rarò in petitorio absoluto possessorio agatur imò aliquando in Gallia inhibetur sit petitorium intentare.
- 39 Hodie possessorium retinenda & recuperanda possessionis privativè ad Judicem laicum spectat.
- 40 Quomodo omnes causa Beneficiales hodie titulo possessorii retinendæ possessionis coram Judice Regio agitentur.
- 41 Judices Regii licet petitorium examinent, non nisi tamen super possessorio tanquam merè facti pronuntiant.
- 42 Ut causa Ecclesiastica deferatur ad Judicem Laicum, solet peti manutenentia; cujus definitio additur.
- 43 Ratio etymologica hujus vocis.
- 44 Pro obtinenda manutenentia requiritur possessio.
- 45 Item turbatio facti.
- 46 Hodie titulo manutenentia omnes passim causa ad Tribunalia Regia devolvuntur.
- 47 Ipsi Ecclesiastici amant litigare apud Tribunalia Regia.
- 48 Rationes, cur forum Ecclesiasticum declinent.
- 49 Dolendum, quòd hodie apud laicos Ecclesiastici litigare cogantur.
- 50 Manente hodierno stylo feri Ecclesiastici vix aliud sperandum.
- 51 Episcopi allaborare debent, ut lites Ecclesiasticorum amicè sopiantur.

Non tantum petitorium, sed & possessorium in causis Beneficialibus, aliisque, de jure communi spectare ad Judicem Ecclesiasticum, excluso Judice sæculari, unanimis est Canonistarum sententia; neque obscurè probatur in Decretalibus sub titulo *De Causa possessionis & proprietatis*, in quibus supponitur, utrumque judicium coram eodem Judice esse terminandum; & pluribus ostendit Covarruvias *Pract. 99, c. 35, n. 1.* aitque, „non posse laicum Judicem secundum rigorem juris cognoscere de causa possessoria beneficii Ecclesiastici; cum ad justificandam possessionem in hoc casu sit necessaria quædam summaria probatio alicujus tituli apparentis, nec aliter possit possessio obtineri, etiam quoad interdicta possessoria. „

II. Fatetur nihilominus ipse Covarruvias, contrarium usum jam pridem in Regno Galliarum invaluisse, cujus usus etiam antiqui Auctores Galliarum meminerunt; atque inter alios Guilielmus Benedicti ad *Cap. RAYNUTIUS, De Testam.* verbo *Et uxorem n. 131.* dicens: „Ex antiqua & immemorabili consuetudine remedia possessoria etiam in Beneficialibus & Ecclesiasticis causis in isto Regno Franciarum procedunt & tractantur per Judices Regios; quam consuetudinem Beatus Pater Martinus Papa ad requestam Regis Franciarum, videlicet Caroli VII. Domini nostri Regis moderni

Van Espen Jur. Eccl. P. III.

„nunc regnantis avi paterni approbavit, etiam respectu causarum Beneficialium tam in Regno, quam in Delphinatu seu declaravit dictæ consuetudini & stylo per quamcunque Constitutionem Apostolicam derogatum non fuisse, nec Judices Regios de talibus quæstionibus cognoscentes Censuris Ecclesiasticis ligasse, nec derogare aut ligare velle. „

Indubitanter reflectit hæc Auctor ille ad Bullam Martini V. datam anno 1426. 4. Februarii; ac integra refertur in Probationibus Libertatem Ecclesiæ Gallicanæ c. 26, n. 2.

III. In hac Bulla expressè declarat Mart. V. quod per suas litteras anteriores (quibus sub gravibus pœnis inhibuerat Clericis, ut suas causas & querelas præcipuè; de jure vel consuetudine ad forum Ecclesiasticum spectare noscuntur, ad forum laicum non deferant) non intendat præjudicare juri & jurisdictioni Regiæ, præsertim in casu possessorii retinendæ possessionis super quibuscunque Ecclesiis & Beneficiis Ecclesiasticis. Verba sunt: „Cum autem, sicut pro parte charissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Francorum illustris nobis fuit expositum, à nonnullis revocetur in dubium, an per hujusmodi nostram Constitutionem derogari voluerimus juri & jurisdictioni Regiæ, præsertim in casu possessorii retinendæ possessionis, super quibuscunque Ecclesiis & Beneficiis Ecclesiasticis suorum Regni Franciæ, & Delphinatus Viennensis; per quam jurisdictionem præfatus Rex sibi licere asserit, in omni casu etiam juridicè tueri possessores; Nos ad omnis ambiguitatis tollendum dubium, super his opportunè consulere & providere volentes, ejusdem Regis in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium declaramus, nostræ intentionis non fuisse, neque esse, per prædictam aut quamcunque aliam Constitutionem nostram eidem Regi, & ejus Regiæ jurisdictioni, per quam, sicut asseritur, tam ipse quam progenitores sui super hujusmodi possessorio à tanto tempore, circa quod de ejus contrario memoria hominum non existit, consueverunt cognoscere, in aliquo derogari voluisse aut velle quoquo modo; decernentes partes molestatas super earum conservatione ad suorum beneficiorum possessionem ipsius Regis auxilium implorantes, dummodo in contemptum jurisdictionis & libertatis Ecclesiasticæ, & ut partes sibi adversas in rebus Ecclesiasticis diutius perturbarent, hoc non fecerint, pœnas in dicta nostra Constitutione contentas nullatenus incurrisse aut debere incurtere quovis modo. Per hoc autem nullum jus seu jurisdictionem in præmissis cognoscendis eidem Regi de novo acquiri volumus, sed antiquum, si quod habet, tantummodo conservari. „

IV. Ex verbis jam relatis manifestum est, errasse Zypæum; dum scripsit titulo *De Causa possess. & propriet. n. 1.* quod, „Franci à Martino V. privilegium impetrarunt, quòd, „Judex sæcularis iis (possessorii rerum spiritualium controversiis) ingerere se posset. „ Non enim Martinus V. ipsis privilegium dedit cognoscendi de possessorio retinendæ possessionis super beneficiis Ecclesiasticis; sed tantum declaravit, neque per hanc, neque per quamcunque suam Constitutionem eidem Regi (Franciæ) & ejus Regiæ jurisdictioni, per quam sicut asseritur, tam ipse, quam ejus Progenitores super hujusmodi possessorio à tanto tempore, circa quod de contrario memoria hominum non existit, consueverunt cognoscere, in aliquo derogari voluisse aut velle quoquo modo. „

Imò & expressè protestatur Pontifex, „se per hoc nullum jus seu jurisdictionem in præmissis cognoscendis eidem Regi de novo acquiri velle. „ Evidens proinde est, nullum privilegium Francis esse à Martino V. datum; sed solummodo jus ab antiquo competens confirmatum.

V. Non dubium tamen, quin ex similibus Pontificum Declarationibus consuetudo & jus cognoscendi de possessorio Beneficiorum in tribunalibus laicalibus non parum fuerit firmatum; ipsique Judices Regii magis obfirmati.

Unde Guilielmus Benedicti dicto loco citatis ad marginem hæc

hâc Bullâ Martini V. nec non Litteris Leonis X. ad Curiam Regiam Tolosanâ, quibus stylum & consuetudinem Franciæ in hoc puncto clarè approbare videtur, subdit: „Ex quibus resultat, Judices Regios sine scrupulo conscientiæ cognoscere posse de tali possessione, postquam Summi Pontifices, qui potestatem super hoc dispensandi habent, scienter hoc tolerârunt tanto tempore, quinimò approbârunt, ut viderur.

VI. Quin & illud admodum verisimile est, quòd ex hac Bulla, tametsi ad solum Regem Franciæ datam, alii quoque Reges, & Principes consuetudinem & simile jus securiùs sibi asseruerint. Cujus vel ipse Salgado *De Protect. Regia parte 1. Præudio s. n. 293.* testis est. Relatâ enim hac Bullâ ait: „Licet sit inducta in favorem Regum Franciæ, tamen ejus decisio & determinatio generalis est, & universaliter comprehendit omnes Reges & Principes simile jus & consuetudinem immemoriam habentes.

VII. In Belgio sub finem sæculi XV. stabilitatem fuisse consuetudinem disceptandi *possessorium* in causis Beneficialibus coram judicibus Regiis, patet ex Edicto Philippi Archiducis die 20 Maii 1497. quo cavetur, ut nullus vigore Bullæ, aut provisionis Papalis trahatur extra patriam; sed, quæstione incidente, si sit in *possessorio*, accedatur ad ipsum *Principem* aut ejus Officiarios ad quos ipsa cognitio spectat: & in *petitorio* ad *Ordinarium*. Verba sunt: *Et semblablement que nul (quelqu'il soit) pour raison de dictes benefices est ans en nosdicts pays ne attraye noz sujetz ny autres y residans, par vertu de dictes Bulles & Rescritz de Cour de Rome: ains s' aucune chose ils voullent demander, à la cause dicte, le font, si c'est en possesioire, pardevant nous ou noz Officiers, ausquelz la connoissance en appartient, & en petitoire, en premiere instance pardevant l' Ordinaire en nosdicts pays.* Id est: similiter ut nemo (quiscunque fuerit) ratione Beneficiorum sitotum in dictis nostris Provinciis, ullum subditorum nostrorum aut aliorum in iis commorantium, vi dictarum Bullarum & rescriptorum Curie Romanæ in jus vocet: verum si quid volent obtinere in dicta causa coram Nobis aut Ministris nostris, si de *possessorio* agatur, compareant, ad quos hujusmodi cognitio spectabit. In *petitorio* verò in prima instantia, coram *Ordinatio* in dictis nostris Provinciis.

VIII. Jus hoc Regis judicandi de *possessorio* rerum spiritualium primitus consuetudine magis quàm aliquâ positivâ Ordinatione apparet inductum fuisse, idque sensim & per gradus.

Et quidem citata Bulla Martini V. tantum meminit juris cognoscendi de *possessorio* *retinenda* possessionis; quod & *recuperanda* complectitur, ait Zypæus loco citato *num. 2.* juxta generale remedium *Can. Reintegranda.*

IX. In Concordatis Brabantæ inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem de anno 1541. *tit. 4. §. 1. & 2.* *possessorium* *retinenda* & *recuperanda* possessionis defertur judici sæculari; interdictum verò *adipiscenda* judici spirituali relinquitur.

X. Similiter Guido Papæ Consiliarius in Senatu Gratiano-politano circa annum 1440, testatur; quòd, licet hic Senatus cognosceret de *possessorio* *retinenda* & *reintegranda* in Beneficialibus equidem in *possessorio* *adipiscenda* non consueverat Curia de eo cognoscere, cum plus habeant proprietatis, quàm possessionis. *Decis. 1.*

XI. Causam enim *possessorii* assumpserunt judices Regii vel hoc titulo, quòd possessio *in facto*, & non *in jure* consistat. Quæ autem *facti* sunt non spiritualia, sed potius temporalia censentur. Possessio enim non dicitur spiritualis, ut ipsa proprietas, sed potius *temporalis*, ait Guido Papa *Decis. 1.* Et Aufrerius *Reg. 2. Fall. 24.* post Glossam in *Cap. CUM DILECTUS, De Elect.* ait: „Quando agitur de *possessorio* de jure spirituali, non agitur *spiritualiter*, & ideo non est tractanda tanquam spiritualis. „ At in interdicto *adipiscenda* nihil *facti*, sed tantum *juris* versatur; ideoque & hoc *possessorium* ad Senatum Regium non spectare judicavit Senatus Sabaudie apud Antonium Fabrum in *Cod. lib. 3. tit. 7. defm. 1.*

XII. Illud sanè compertum est, cognitionem *possessorii* judicibus laicis delatam esse, quòd crederetur, non *juris*, sed *facti* quæstionem versari. Unde Damhauderus in *Praxi Rerum Civilium cap. 41.* objiciens sibi, quòd iudex sæcularis dando *manutentionem* in materia Beneficiali videatur se immiscere rebus spiritualibus, ait: „Quia in isto casu non immiscet sese rebus spiritualibus, nec spirituales res tractat, nec exercet, sed tantum quod est merè sæculare: „dum lites, contentiones, & turbationes à suæ Reipublicæ subditis, arcet & prohibet.

XIII. Imò vetisimile est, quòd Concilia Regia, cum primum de *possessorio* cognoscere cœperunt, ipsum jus *Contententium* parum examinasse: sed cum contingeret, duos de Beneficio contendere, ac unus alterum è possessione viâ *facti* extrudere, atque per vim se in ea manutentionem vellet, Concilia Regia, ut hos tumultus, qui in seditiones non raro degenerabant: imò nonnunquam inter Principes aut Nobiles bella quædam excitabant, præcipue dum de Episcopatibus inter personas potentes quæstio incidebat, ut hos, inquam, tumultus compescerent, *summarie* atque *de plano* de causa cognoscebant, ad decernendam illi, qui apparentius jus habere videbatur, nudam ac simplicem possessionem *facti*; eumque in hac possessione contra violentias adversarii tuendum, donec per legitimum iudicem Ecclesiasticum de ipso jure plenè judicatum esset. Unde Jodocus Damhauderus in *Praxi Rerum Civilium c. 41. n. 4.* ostendit, quòd iudex Regius, dando *manutentionem*, non tractet res spirituales, sed tantum *mere sæculare*. „ Dum (ait) lites, contentiones, & turbationes à suæ Reipublicæ subditis arcet & prohibet. „ Simile ex Andræa Gail tradit in notis ad citatum locum Damhauderi Nicolaus Tuldenus, dicitque hoc jus fundatum in jure communi: „ Nam quoties (inquit) de possessione inter duos pluresque contentio est, ita ut uterque possidere se contendat, & res ob litigiosam possessionem ad *arma* spectare videatur, tunc iudicem, ex officio, vel parte petente possessionem sequestrare posse, rei controversæ citatis partibus, ut certâ die compareant, & jura sua *possessoria* *summarie* deducant, interimque ab *armis* absterneant.

XIV. Unde nec primitus nota fuisse apparet distinctio inter *recredentiam*, ut nostri vocant, sive *momentaneam* possessionem, & *plenum* *possessorium*; quæ sensim invaluit, & hodie usitatissima est, præsertim in materiis Beneficialibus.

Cum enim in his possessio justa esse nequeat sine titulo Canonico, qui in *Cap. 1. De Regulis Juris in VI.* vocatur *Institutio Canonica*, cœperunt prætextu *possessorii* plenum super titulis examen instituire, ut de possessione judicarent. Hoc autem examen quia non raro longiores moras requirit, ne beneficium medio tempore necessario ministro destituatur, qui & functiones obire, & proventus colligere queat introducta est prædicta *possessorii* distinctio; ut per *recredentiam* interim, dum *plenum* *possessorium* discutitur, beneficio de ministro provideatur.

XV. *Recredentia* enim est interlocutoria, quam iudex dat, processu durante, in materia novitatis, *manutentionis*, aut in aliis materiis *possessorii*, super usu fructuum, aut rei litigiosæ, ait Damhauderus in *Praxi Rerum Civil. Cap. 147.*

Dicta autem *recredentia*, quasi *rei credentia*, quòd res, fructus, & possessio rei, ei potius, cui *recredentia* adjudicatur, credenda credatur; interim scilicet, quousque plenius res ipsa disculsa, & in pleno *possessorio* definita fuerit.

XVI. *Recredentia* enim non habet effectum, nisi quousque lis duraverit proprietatis vel possessionis; idque sine præjudicio partis adversæ, si hæc in pleno *possessorio* vincat.

Neque enim fructus aut emolumenta rei *Recredentiaro* absolute & irrevocabiler addicuntur; sed tantummodo quasi ejus fidei interim creduntur, seu quasi penes ipsum sequestrantur restituendi parti adversæ, si plenum *possessorium* huic adjudicetur; uti notat Rebuffus in *Tract. De Caus. Benef. possess. art. 1. Gloss. num. 18.* cui consonat *art. 443. Ordinationum Curie Brab.*

XVII. Hæ insuper declarant, à *recredentiaro* præstan-

standam esse sufficientem cautionem de restituendis & reddendis illis fructibus, quos pars adversa lucrari & habere potuisset, si actualiter possedisset: *Behoudeleck goede ende sufficiente cautie van te restitueren ende vvederkeren al sulcken vruchten, als de partye soude moghen vvinnen ende hebben, in gevall by actuelijcken possedeer de.* Id est: Additâ legitima sufficienteque cautione de restituendis reddendisque iis fructibus, quos lucrari pars adversa & obtinere potest, si actu possessione foret gavisa.

Quomodo, quando, & quæ cautio præstanda sit, latè explicat Rebuffus in Tractatu De sententiis executorialibus art. 1. Gloss. 15. & 16.

XVIII. in materia autem Beneficiali quoad recredentiam, qui titulum habet, & exhibet, præfertur illi, qui titulum non habet, ait Rebuff. de Causis Benef. possess. art. 3. num. 7. quia tunc apparentiorem censetur habere titulum, cum alter nullum producat. Et ut notat n. 8. Judices in iudicanda recredentia duo maxime attendere debent, videlicet titulos partium, & earum capacitatem: & adjudicare recredentiam habenti apparentiorem titulum, si capax sit & idoneus; quod & indicant Ordinationes Curia Brabantia, quæ volunt, ut si altera partium suo tempore non reproduxerit suos titulos, hæc excidat recredentiâ, quæ adjudicabitur illi parti, quæ suos titulos exhibuerit.

XIX. Ut ergo facilius ac sine longa mora, ut minus recredentia alteri partium adjudicari queat, debent partes statim initio litis exhibere suos titulos; quemadmodum tum in Gallia per Ordinationem Francisci I. art. 10. tum in Ordinationibus Curia Brabantia art. 439. cautum est.

XX. Id consonat Concordatis Brabantia, quæ optant lites super possessorio abbreviari, ne diu Beneficia vacare contingat; atque propterea r. 4. art. 1. dicitur: "expediens tamen esset, quod Princeps tempus terminandarum litium super possessorio statueret, ne Beneficia diutinam vacationem pariantur."

XXI. Nomine tituli autem veniunt omnia acta, quæ tribuere queunt jus ad beneficium; ut sunt litteræ præsentationis collationis, institutionis, litteræ testimoniales approbationis super sufficientia doctrinæ & morum; vulgò *Visa*, acta captæ possessionis, &c.

XXII. In Ordinatione Francisci I. art. 3. non tantum titulorum exhibendorum, sed & *capacitatum* mentio fit in verbis: *Et par faut d' exhiber, se fera adjudication de recredence ou maintenue sur les titres* & CAPACITEZ de celuy qui aura forny. Id est: Defectuque exhibitionis adjudicabitur recredentia aut mantenentia illi, qui de titulis & capacitatibus docuerit.

Hoc nomine *capacitez* veniunt acta, quæ probant capacitatem personæ, ut sunt extractum ex Registro Baptismali, quo v. g. legitimitas, & ætas, vel locus originis aut Baptismi probantur litteræ tonsuræ, Ordinis, vel Gradus Academici, aut similitum pro conditione Beneficii.

XXIII. Apud Gallos aliquando usuratum fuisse, ut iudices duos facerent distinctos processus & instantias; unum super recredentia, & alterum super pleno possessorio; ita ut prolata sententiâ recredentia, de novo inchoarent processum, super pleno possessorio, notat Rebuffus in citato Tractatu art. 10. & in Belgio quoque obrinnisse verisimile credit Nicolaus Tuldenus in notis ad Caput. 147. Damhouderi.

XXIV. Verum cum conveniat lites super Beneficiis citò terminari, tam in Gallia, quam hinc in Belgio ordinatum fuit, ut non fiant impostero *duo distincti* processus super recredentia & pleno possessorio; sed ambo jungantur & instruantur per *unicum* processum, uti habet citata Ordinatio Francisci I. art. 10. & Ordinationes Curia Brabantia art. 440. addentes insuper, quod Advocatus, qui separatim in his materiis scripserit, condemnabitur in multam 10. Carolinorum, *Carels guldens*, applicandorum ærario Regis, & suspendetur à suo officio ad sex menses.

XXV. Hinc tamen nullatenus concludendum est veritum esse separatim ferri duas sententias, alteram recredentia, & alteram *pleni possessoris*, uti mone Rebuffus, & quotidiana

praxis observat; supponuntque citatæ Ordinationes Curia Brabantia art. 441. quo injungitur, ut titulis hanc inde per partes reproductis, ipsi de Curia Brabantia mox de causa discernant, ut minus quoad recredentiam super titulis & munimentis ab utraq; parte allegatis: *Naer dien de voors. materie possessoire van Beneficien also geïnstrueert sal zyn soo sulden die van onsen voorschreven Raede gehouden zyn te vuyten ten minste de recredentie, op de voorschreven titulen ende munimenten van beyden syden geproducet.* Id est: Cum verò præfata materia de possessorio Beneficiorum hoc modo ordinata fuerit, tenebuntur ii de dicto nostro Consilio ut minus discernere recredentiam ratione prædictorum titulorum & munimentorum causæ utrimque productorum.

XXVI. In adjudicanda recredentia iudex tantum summarie se informare solet, atque ex actis sive hinc inde reproductis instrumentis dispicere, quis apparentiorem titulum habere videatur; & cui omnibus expressis possessorio *per interim* quousque *plenè* causa fuerit discussa, & plenius de jure contententium constiterit, sit *credenda*.

XXVII. Monet autem Rebuffus in tractatu De Sententiis execut. art. 1. Gloss. 5. n. 3. quod "nunquam recredentia sententia proferri debeat, quando plenum possessorium potest expediri sine alia probatione: utpote quando non sunt aliqua facta allegata, sed ex ipsis titulis potest ipsum Beneficium dijudicari."

Recredentia autem sententiæ executio habetur non obstante oppositione aut appellatione; quemadmodum habent Ordinationes Curia Brabantia art. 443. duratque jus effectus, quousque per sententiam definitivam *in pleno possessorio* fuerit retractata. De quo vide Antonium Fabrum in Cod. lib. 1. tit. 2. Dis. 95.

XXVIII. Adjudicatâ recredentiâ, si nimirum materia & causæ status eam requirere videatur, tunc ulterius causa instruitur, & *plenarie* de titulis & juribus ipsarum partium iudices cognoscunt, eaque discutunt, ut appareat, quis Canonicam possessionem habeat, atque in ea manutenendus sit; & cui per sententiam definitivam *plenum* possessorium adjudicandum sit.

XXIX. Hinc evidens est, hodie in possessorio iudices non tantum de merò & nudo *facto* possessionis cognoscere, sed totum & integrum jus discutere: ut ex *jure* dijudicent, cui possessio, quæ sine Canonica institutione, sive Canonico titulo haberi nequit, adjudicanda sit.

Proinde dubitari non potest, quin reverâ hodie iudices Regii in iudicio possessorio rerum spiritualium examinent & tractent ipsum *petitorium*, sive *jus ipsum*; quamvis sententiam dicendo, non super ipso *petitorio*, sed *possessorio* duntaxat pronuntient.

XXX. Quare mirum non est, si & tandem unâ invaluerit, atque in Gallia & in Belgio decretum sit, quod possessorium & petitorium simul intentari non possint; ut habent Ordinationes Curia Brabantia art. 445. Cum enim in possessorio tituli & jus litigantium examinentur & discutantur inconveniens sanè visum est, si eodem tempore in *petitorio*, coram iudice Ecclesiastico discuterentur.

XXXI. Quin & eodem titulo, uti & in Ordinatione Francisci I. Regis Francia art. 12. decernitur, quod intentato possessorio non possit intentari petitorium, quamdiu materia possessorii per sententiam definitivam plenè terminata non fuerit, ipsique sententiæ totaliter satisfactum fuerit, tam quoad principale, quam fructus, damna & interesse, si hæc adjudicata sint, nisi per illum, in cujus favorem sententia lata fuit, fieret, quod executio non haberentur.

XXXII. Quandonam juxta has Ordinationes censeatur satisfactum *integre* ipsi possessorio, ut petitorium intentari queat, consule Rebuffum in tractatu de Causis Benef. possess. art. 12. ubi inter alia notat, quod licet in ordinatione Regia, uti & in citatis Ordinationibus Curia Brabantia, nihil dicatur de *expensis* litis, nihilominus & has comprehendere; & debere esse solutas, antequam petitorium coram iudice Ecclesiastico intentari possit.

XXXIII. Sententia autem definitivè in *pleno* possessorio

Prolatâ, & tam quoad ipsum principale, quam accessoria executioni mandatâ, tunc liberum est parti victæ intentare *petitorium* coram iudice Ecclesiastico, si possessorium fuerit in materia Ecclesiastica ad forum Ecclesiasticum spectante.

XXXIV. Si tamen ab ipsa sententia in possessorio lata sit appellatum, appellatione pendente super possessorio, petitorium intentari nequit: quia ipsum possessorium necdum *totaliter* censetur evacuatum sive absolutum; uti notat Rebuffus in *Tract. de Causis Benef. possess. art. 12. n. 3.* & Wamefius noster *Conf. Can. 82.* & notoria praxis consonat.

XXXV. Soli quidem iudices Regii in Gallia, uti & in his partibus, de possessorio in materia Ecclesiastica judicant, quemadmodum observat Rebuffus *de sentent. execut. art. 1. Gloss. 11.* non tamen soli iudices *supremi*, sed & subalterni, sive à quibus ad supremam Curiam appellatur, ut sunt in Belgio Concilia Provincialia, puta Flandriæ, Namurcense, &c. à quibus ad Parlamentum Mechliniense à sententia super pleno possessorio in materia Ecclesiastica quotidie appellatur, eaque appellatione pendente, petitorium manet in suspenso.

XXXVI. Porro petitorio intentato & coram iudice Ecclesiastico pendente, effectus sententiæ latæ in pleno possessorio non sistitur; nec is, cui possessorium adjudicatum est, in sua possessione quoquo modo turbari potest prætextu intentati petitorii, quamdiu ipsum petitorium coram iudice Ecclesiastico *plene* evacuatum & absolutum non est. Non censetur autem petitorium esse *plene* adjudicatum, nisi per tres sententias conformes fuerit iudicatum; si nimirum toties fuerit appellatum.

XXXVII. Mirum proinde videri non debet, quod raro in Beneficialibus aliisque Ecclesiasticis causis intentetur petitorium coram iudice Ecclesiastico, postquam plenum possessorium in Curia Regia fuit adjudicatum; quia scitur, sæpissimè tantam temporis moram requiri, ut verisimilius ipse finis vitæ præveniret ipsum finem litis.

XXXVIII. Accedit, quod cum hodie in causis possessorii examinentur & discutiantur *plenariè* omnes tituli, quibus ipsa possessio innitur; non sine fundamento credatur, quod & in *petitorio* succumbet, qui in pleno possessorio victus fuit. Quare refert Fevretius de Abusu *lib. 4. c. 11. n. 6.* aliquando in Parlamentis Galliarum iudicatum fuisse abusivam citationem in *petitorio* post absolutum & adjudicatum plenum possessorium; quasi injustum & inordinatum esset, rursus titulos examinare coram iudice Ecclesiastico, qui ad plenum in Regio Senatu discussi fuere; atque per intentatum petitorium, ipsas materias, præsertim Beneficiales, durante vitâ Beneficiati, æternizare. Nihilominus ipse Fevretius fateri debet, & juxta jus commune, & ipsas Regias Ordinationes petitorium posse coram iudice Ecclesiastico, evacuato possessorio, intentari. Quod & ipsa Concordata Brabantiarum *tit. 4. art. 1.* expressè permittunt, optantque à Principe tempus terminandarum litium super possessorio statui, *ut questio petitoria citius institui & terminari valeat.* Videti etiam potest Tornetius in sua Collectione Arrestorum *tit. P. art. 138. 140. & 147.* atque hoc ultimo articulo indicat, aliquando inhibitum, intentari petitorium post absolutum plenum possessorium; quin & ibidem notat, anno 1613. Parlamentum sibi attraxisse causam cujusdam Presbyteri, qui coram iudice Ecclesiastico litigabat pro obtinenda portione congrua, eique per provisionem aliquam portionem assignasse; quia ob frequentes appellationes, & difformes à variis iudicibus lata sententia, nihil obtinere à iudice Ecclesiastico poterat; quo fiebat, ut Ecclesia interim viduata à suo ministro maneret.

XXXIX. Videtur indicare Philippus Probus ad Sancti Pragmat. *tit. De Electionibus, Cap. LICET §. SUPER OMNIBUS*, quod suo tempore cognitio de *possessoris* Beneficialibus competeret iudicibus Regiis *non privative* sed *cumulative* cum Ecclesiasticis. Sed hic rursus certò auctoritas iudicum Regiorum crevit, ipsaque possessoria non *cumulative*, sed *privative* ad ipsos transierunt. Unde ad citata verba Philippi Probi notavit in margine Franciscus Pinlonius; "

„Istud non servatur circa possessoriâ litium cognitionem iudicibus secularibus competentem etiam *privative*." Quod & Concordata Brabantiarum saltem quoad possessionem *retinenda & recuperanda* præscribunt, reservantque *privative* ipsis iudicibus secularibus hujus possessorii cognitionem.

XL. Reservant quidem hæc Concordata interdictum *adipiscenda* possessionis iudici Ecclesiastico; sed tamen id nos impedit quò minus omnes passim quæstiones in materia Beneficiali titulo possessorii ad Regia tribunalia deferantur; nam mox ut collatio Beneficii habetur, si possessio realis haberi nequeat, capitur possessio, quam *juris* vocant, coram Notario; quam ut sufficientem ad fundandum possessorium *retinenda possessionis* Concilia Regia recipiunt, uti notat Zypæus *tit. De Causa poss. & propriet. num. 2.*

XLI. Quamvis enim reipsâ hodie Iudices Regii de omni penè quæstione in materia Ecclesiastica cognoscant non tantum de possessorio, sed & de petitorio; ut tamen pristinis formulis insistere videantur, solumque possessorium, quod *facti* est sibi attribuere, tanquam de petitorio aut jure ipso pronuntiant; sed tantum super possessorio, declarando, hunc illumve esse *manutenendum in sua possessione*; sive litteras *manutenentia* rectè vel malè obtentas.

XLII. Ut enim quæstio in materia spirituali seu Ecclesiastica ad Tribunal Regium deferatur, peti solet *manutenentia*, quæ est "quædam provisio, imò veriùs quoddam Principis, vel Concilii sui, beneficium, quo aliquem pacificum possessorem, metuentem tamen ex ea ejici, aut exturbari, in eadem sua quietâ possessione tenet, servat, & quasi *manutenendo* suâ auctoritate tuetur."

XLIII. Ita Damhauderus in Praxi Rerum Civilium *cap. 41. num. 1.* additque *num. 2.* quòd quamvis hoc vocabulum sit recens, tamen aptum sit ad significandum, "quòd possessor in possessione sua per Principem manuteneatur, & in ea permanere jubeatur, cum interdictione omnium, qui ad hanc quietam possessionem contradicere velint, & id donec per justitiam alius potius jus habens inseratur, manutentus iterum ejiciatur."

Unde si exteriorem formam *manutenentia*, ipsumque litterarum *manutenentia* tenorem duntaxat consideremus, diceretur, iudices Regios de nuda *facti* possessione cognoscere, ac id unice præcavere ne pacificus possessor viâ *facti* inquietetur: licet plus reipsa sibi attribuant.

XLIV. Quare & hodie duo pro obrinendis litteris *manutenentia* requiruntur. Primò possessio, de qua saltem summarie apparere debet; quemadmodum in ipsis Litteris *manutenentia* expressè etiam exprimitur; præscribiturque in Ordinationibus Curie Brabantiarum *art. 438.* quòd qui anno uno fuit extra possessionem, *manutenentiam* habere nequeat.

XLV. Secundò requiritur turbatio *facti*, quæ generaliter fit per quemcunque actum, quo quis non sinit liberè & quietè res nostras possidere, ut ait Rebuffus in *Tract. De Materia possess. art. 1. Gloss. 2. num. 36.* ubi & plures modosurbationis enumerat, atque *num. 39.* quòd quis teneatur exprimere modum & qualitatemurbationis, nisi ex actis appareat.

XLVI. Verùm quia qualiscunque possessio etiam *juris* nec non qualiscunque turbatio facile admittitur, ut litteræ *manutenentia* concedantur; fit, ut omnes passim causæ Ecclesiasticæ titulo *manutenentia* sive possessorii ad Tribunalia Regia trahantur, ipsaque Tribunalia Ecclesiastica his priventur.

XLVII. Et quòd mirum est, passim ipsimet Ecclesiastici amant, quin & omnem operam impendunt, causas suas Beneficiales aliasque Ecclesiasticas apud Regia Tribunalia potius, quàm apud Ecclesiastica examinari, & dijudicari, quòd ex hodiernâ formâ procedendi in foro Ecclesiastico, magna ex parte provenire indubiatum est.

XLVIII. Juxta hodiernum enim procedendi & litigandi morem & stylum in iudiciis Ecclesiasticis servari solitum quicquid aliquot sæculis irrepsit, nò nescit, penè citius exspectandû esse liti-

litigantibus finem vitæ, quàm finem litium; plusque & diutius multibus & jurgiis forensibus implicandos litigantes coram judice Ecclesiastico, quàm Regio. Ut non dicam, quòd ordinariè de capacitate Officialium judiciis Ecclesiasticis præfidentium non ea sit opinio & persuasio in causis, præsertim arduis discutiendis, quæ habetur de Senatibus Regiis: quorum & in judicando integritas sæpè partibus est magis perspecta, quam ipsorum Officialium: quemadmodum in progressu Operis, ubi & forma judiciorum, & appellationum frequentia, item de Officialibus singillatim tractabitur, latius ostendetur.

XLIX. Indubiè dolendum est, causas Ecclesiasticas, ipsaque quæstiones & difficultates inter Ecclesiasticos exorientes passim ad laicalia Tribunalia deferri, ipsosque laicos constitui judices & arbitros harum controversiarum; & qui à Sacerdotibus judicari & instrui deberent, ipsos Sacerdotes instruere & judicare debeant, & eorum quæstiones decidere: ut meritò Ecclesiasticis hodie dici queat, quòd Christianis ad judicia Gentilium confugientibus exprobrabat Apostolus: *Sic non est inter vos Sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum.*

L. Et quamvis nemo non dubitet, id in non exiguum dedecus Ecclesiæ & opprobrium Cleri cedere, spes tamen exigua id emendandi affulget, nisi ille forensis litigandi modus & dilationum & appellationum frequentia è judiciis Ecclesiasticis tollatur, Unde Episcopis & judicibus Ecclesiasticis quærentibus suam jurisdictionem diminui, imò quasi totaliter aboleri, non immeritò dicitur quòd ad Eugenium Papam scripsit S. Bernardus *lib. 1. De Consid. c. 10.* Agitentur, causæ, sed sicut oportet. Nam is modus qui frequentatur, execrabilis planè, & qui non dico Ecclesiam, sed nec fo-

rum deceret. Miror namque, quemadmodum religiosæ aures tuæ audite sustinent hujusmodi disputationes Advocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad subversionem, quàm ad inventionem proficiunt veritatis. Corrige pravam morem... Nihil ita absque labore manifestum facit veritatem, ut brevis & pura narratio.

LI. Interim dum hæc judiciorum Ecclesiasticorum emendatio haberi non potest, Episcopi tenentur, quantum possibile est, intendere, ut lites & controversias more antiquo & ad mentem Apostoli & Ecclesiæ, præsertim inter Clericos super Beneficiis aliisque materiis Ecclesiasticis sine forensi strepitu componant; seque ita in omnibus gerere, ut Clerici eam de ipsorum integritate, & in judicando æquitate concipiant fiduciam, ut libenter quæstiones ipsorum judicio & arbitrio decidendas subjiciant, exemplo S. Caroli, de quo scilicet Auctor vitæ ejus *lib. 7. c. 7.* De litibus est memorabile, Notariis Scribisque fori Caroli tempore accidisse, ut peritiam earum litium, quæ de Beneficiis tam frequentes alibi inter Clericos esse solent, penè dedicerent. Nulla enim eo vivente lis erat ejusmodi. Vocatus quisque, nihil agitando, ne cogitando ferè quidem, Beneficium accipiebat, sine controversia retinebat, sine auctoritate sui Antistitis non dimittebat aut permutabat.

Ut hoc ubique per suam Provinciam obtineret, in Concilio VI. Mediolanensi statuit; "Antequam lites reive alicujus judicium constituatur, studeant omni æquitatis officio, paternoque consilio lites dirimere, controversias sedate & transactionibus litigantes reconciliare, &c. Sin autem id assequi non poterunt, id saltem curent, ut lites brevius, quàm in foro laicali moris est, definiantur."

TITULUS III.

De Jurisdictione Criminali.

CAPUT V.

Quæ jam pridem fuerit auctoritas judicis Ecclesiastici in puniendis delictis Clericorum,

- 1 Auctoritatem vindicandi crimina Magistratibus Civilibus detulit Apostolus.
- 2 Imperatores correctionem eorum, quæ contra religionem & disciplinam Ecclesiasticam committuntur, permiserunt Judici Ecclesiastico.
- 3 Constitutio Valentini Imp. delictorum hujusmodi correctionem Episcopis asserens.
- 4 Sensum hujus Constitutionis exponit S. Ambrosius.
- 5 Delicta civilia Clericorum judiciis publicis in hac Constitutione reservata.
- 6 Eandem delictorum distinctionem adstruunt Imp. Arcadius & Honorius.
- 7 Eadem occurrit in Constitutione sub nomine Valentini Junioris & Theodosii.
- 8 Hinc invaludivisio delictorum in Ecclesiastica & communia, quæ hic describuntur.
- 9 Ecclesiastica Ecclesiastico, communia Civili Judici delata.
- 10 An hæc distinctio per Honorium Imp. aliquando fuerit sublata?
- 11 Certum est, Justinianum Imp. eà distinctione usum esse.
- 12 Non vult tamen Clericum capitaliter puniri à Judice Civili, nisi ab Episcopo ex auctoritate.
- 13 Constitutio Justiniani in compendium contracta.
- 14 Posteriore sua Constitutione cavet Justinianus, Clericum à Judice seculari non damnandum, nisi probante Episcopo.
- 15 Id conforme Canonibus sub id tempus editis.

Van Espen Juris Eccl. P. III.

- 16 Sensum omnium delictorum Clericorum sine distinctione cognitio & punitio Judici Ecclesiastico privativè delata.
- 17 Id supponunt Capitularia Regum Francorum.
- 18 Ratio hujus discipline assignatur.
- 19 In recentioribus legibus nulla prædicta distinctionis delictorum mentio.
- 20 Seculo II. etiam crimen furti à Clerico commissum Judici Ecclesiastico reservatum.
- 21 Articulus Henrici II. Regis Angliæ, quo volebat laicos de aliquibus delictis Clericorum cognoscere, reprobatus.
- 22 In Gallia quoque indistinctè crimina Clericorum Judici Ecclesiastico deferebantur.
- 23 Ob hanc disciplinam Gratianus videtur truncasse legem sub nomine Valentini & Theodosii publicatam.
- 24 Immunitatem Clericorum in criminalibus generaliter expressit Fredericus Imp.
- 25 His consonat jus Decretalium.
- 26 De Jure Decretalium Clericus de crimine assassinatus convictus videtur à solo Judice Ecclesiastico judicandus.
- 27 Clericus coram Judice seculari falsum deponens, de jure debet judicari in foro Ecclesiastico.
- 28 Synodus Tridentina causas criminales tanquam majores Episcopis reservat.
- 29 Non tamen excluditur Officialis.

1. **P**ublicam auctoritatem vindicandi crimina esse penes Magistratus civiles, quibus jus gladii est, clarissimè docuit Apostolus in Epistola ad Romanos *cap. 13.* ubi de Potestate sublimiori ait: *Non enim sine causa gladium portat Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Sensus est: "Gladium gestat, sive Potestas, sive Principes tanquam Dei Minister, à quo gladium accipit, ut sit vindex in iram id est, ut ejus vice ac nomine justitiam exercent vindicativam in puniendis